UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi

Spinola, Fabio Ambrogio

Antverpiæ, 1630

urn:nbn:de:hbz:466:1-46233

Visual Library


IHS

Th. 2685.
K III
21

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VITA P. CAROLI SPINOLÆ SOCIETATIS IESV,

PRO CHRISTIANA RELIGIONE IN IAPONIA MORTVI:

ITALICE SCRIPTA

A P. FABIO AMBROSIO SPINOLA,

LATINE REDDITA

A P. HERMANNO HVGONE,

VTROQ. SOC. IESV SACERDOTE.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



ILL^MO ET EXCELL^MO

PRINCIPI

AMBROSIO SPINOLÆ

BALBATIÆ MARCHIONI,

AVREI VELLERIS EQVITI,

REGI CATHOLICO

A CONSILIIS STATVS,

PER ITALIAM AC BELGIVM

ARCHISTRATEGO, ETC.

PIENTISSIMAM vitam heroici Religioſi, glorioſiſſimamque mortem religioſi Herois P. CAROLI SPINOLÆ, Italico ſermone conſcriptam P. FABIVS

AMBROSIVS SPINOLA quodam cognationis debito Illustrissimis gentis SPINOLÆ Proceribus dedicauit. Eamdem verò Latinitate donatam Tibi, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, illorum Procerum clarissimo Duci, Pater HERMANNVS HVGO, quadam officij obligatione debebat. Sed antè lucis vsuram amisit Pater, quàm eius ille partus in lucem editus esset. Patere igitur hanc veluti postumã prolem tutelę Tuæ commendari; quam, nisi vltrò offerretur, iure vindicares: iure, inquam, consanguinitatis cum CAROLO, ac deinde beneuolentię & affectus in Patrem p. m. HERMANNVM HVGONEM, quem plures annos à sacris Tibi Confessionibus, charum

rum acceptumque Patrem tuum ſpiritualem nuncupabas. Et certè, EXCELLENTIAE TVAE, Italiam ſuam poſtliminiò reuiſenti, occurrere modò vel in imagine CAROLVS debuit; vt oſtenderet, palmis laureiſque è ſtirpe SPINOLA floreſcentibus orbem vtrumque egregiè inſigniri. Dum Tu namque ferro Occidentem, ille flammis Orientem illuſtrat. Scilicet hoc quoque accedere Genti veſtræ SPINOLAE decus debebat, vt inter tot illius Principes, qui ſtantes in acie vicerunt, hac etiam ætate reperiretur, qui cadendo triumpharet: & inter tot profanas ſacraſque Familiæ veſtræ purpuras illa excelleret, quæ ſanguine, Dei cauſâ profuſo, glorioſiſſimè

mè tincta, splendorem æternæ maiestatis adfert generi vestro, Societati nostrę, Orbi Christiano. Nam profectò, ex illo acerbe-honorifico rogo, quo arsit Phœnix CAROLVS, virtutes illius illustriùs emicantes, & non iam vt è Memnoniâ pyrâ cineribusque Memnonides aues, sed veluti vocales luscinię enatæ sunt, quæ orbe toto suauissimè glorioſissimeque victorem illum decantant. Eant nunc Iapones illi, non minùs à Deo alieni, quàm ab orbe reliquo distracti, & Religionem ignibus extinguere moliantur; magis accendunt. *Exarserunt* (liceat enim hîc quoque illam Prophetæ Regis Psalmo CXVII. de persecutoribus vocem vsurpare) *exar-*

serunt

ſerunt ſicut IGNIS *in* SPINIS: hoc earum bono, quòd exinde luxerint clariùs, citiuſque protulerint fructum ſuum. Crederes flammas illas radiorum ſolis vice perfunctas, vt calore obſtetricante feliciùs parerent SPINAE ROSAM, purpurâ ſanguineâ rubeſcentem. Quid ni illam Tibi offeramus, PRINCEPS INCLYTE, in quo SPINAM quoque hoſtes ſentiunt, ROSAM ciues experiuntur? Sic enim bellicas artes quodam pacis ſapore ſtudioque permulces, vt ſi illæ ſanguinem aduerſarium bibant, hæc ſuauiſſimæ humanitatis tuæ beneuolentiæque AMBROSIAM cunctis propinet. Vtrumque gratiſſimâ memoriâ Belgæ repetimus, quoties Te & armis

inuictum, & amantem pacis recordamur. Quamquam non ea Tui apud Belgas tantùm memoria & desiderium est; qui Palatinos, Italos, Hispanos implesti factis tuis, famâ terram vniuersam. Quid restat, nisi vt cælis quoque inuehant nomen tuum, illudque

Cantantes sublimè ferant ad sidera cygni?

Benè habet: sic sublimè extulerũt. Hoc à virtute tuâ est: cuius non alios limites quàm terram cælumque, quanto apud nos desiderio optamus, tanto affectu vouemus

EXCELLENTIAE TVAE

deuotissimi

in Collegio Societatis IESV Bruxellæ clientes.

ILLV-

ILLVSTRISSIMIS
GENTIS SPINOLÆ
PROCERIBVS.

QVEMADMODVM *in animis vestris*, ILLVSTRISSIMI PROCERES, *insignem debitæ gratitudinis sensum cœlestis illa Prouidentia excitauit, quâ progeniem nostram Deus præcipuè legit, vt ex eâ* CAROLVS *ille nasceretur, qui & inter incendij languidi flammas Christianam fidem apud Iapones suo sanguine sanciret; & præses penatum nostrorum Tutelaris existeret in cœlo; & Gentis nostræ claritatem, noui splendoris adiunctione, accenderet in terris: ita certè me eadem*

ſtimulauit cogitatio, vt fatalis illius rogi ardores (quibus ille moriens deflagrauit) virtutum quoque, quas viuens expreſſit, luce colluſtrarem. Etiamſi verò mors pro CHRISTO *obita, ſuâ ipſius gloriâ diues, non egeat emendicato aliunde ſplendore: tamen exitus adeò ſingularis longè emicat clarior, cùm vitam egregiis facinoribus clauſam abſoluit. Planè ſicut præſtantior euadit acu facta pictura, cui pretioſus ſubſternitur materiæ conſpirantis pannus. Id quod ſanè vſu veniſſe videtur feliciſſimi Patris huius moribus, qui octo & triginta annis in Religiosâ vitæ paleſtrâ exactis, quà virtutum excellentiſſimarum ornamentis, quà ardentiſſimis pro* CHRISTO *patiendi deſideriis (quæ innata ei perpetuò adhæ-*

adhæsere) tam concinnè telam ætatis
suæ pertexuit, vt denique laudatissi-
mam coronidem nactus sit, mortis
tantò illustrioris, quantò lentioris.
Huius vtriusque, PROCERES IL-
LVSTRISSIMI, vitæ nimirum ac
mortis, dum contractam ac rudem
magis quàm explicatam politamq;
tabellam, sequenti vobis narratione
adfero, CAROLVM aliquatenus
reddo: qui etiamsi fugere visus sit,
cùm vitam desereret sæcularem; re-
uerà tantillùm recessit, vt quasi post-
liminiò redux, illustriores titulos in
familiam reportaret, decoratus cruce
CHRISTI; vtq; morum sanctio-
rum auctoritate pessumdaret fasti-
gium prudentiæ humanæ, frangeret q;
politiæ delirantis sapientiam, quæ pro
perdito habet quidquid consecratur
Deo;

Deo; existimat q̃, nihil laudis adferre posse generi amplificando, quidquid semel Religiosâ est humilitate sepultum. Deum veneror atque obtestor, vt per Serui sui deprecationem animos vestros diuinæ suæ Charitatis facibus accendat. Romæ, XXII. *Nouemb.* M. DC. XXVIII.

ILLVSTRISSIMARVM DD. VV.

humillimus seruus

Fabius Ambrosius Spinola
Societatis IESV.

INDEX

INDEX CAPITVM.

CAP. I. *Natalis & vitæ Religiosæ dilectus.* pag. 1.
CAP. II. *Ingressus in Ordinem Societatis* IESV, *& studia.* 5.
CAP. III. *Virtutum exercitamenta.* 11.
CAP. IV. *Missio Cremonensis, & in Lusitaniam.* 19.
CAP. V. *Profectio è Lusitaniâ in Brasiliam.* 25.
CAP. VI. *Discessus è Brasiliâ in Portoricco, & exorta tempestas.* 33.
CAP. VII. *Missio in Insulam Portoricco.* 40.
CAP. VIII. *Ab hæreticis captus, in Angliam abuehitur.* 47.
CAP. IX. *Discessus ex Angliâ, & appulsus ad Ulissiponem.* 54.
CAP. X. *Noua in Indiam nauigatio, & in Iaponem aduentus.* 59.
CAP. XI. *Euangelij disseminatio, eiusque in Iapone occupationes.* 67.

CAP.

CAP. XII. *Sæuissimæ cuiusdam persecutionis initium ac progressus.* 80.
CAP. XIII. *Latet in Japoniâ occultus, ad iuuandos Christianos; deinde in carcerem abripitur.* 91.
CAP. XIV. *Asperitas carceris.* 111.
CAP. XV. *Vita ab eo in carcere acta.* 122.
CAP. XVI. *Iter Caroli Firandum versus, & reditus.* 141.
CAP. XVII. *Damnatur Carolus vt viuus comburatur.* 149.
CAP. XVIII. *Exitus Caroli è carcere, & è vitâ.* 160.
Religiosum quoddam exercitium precum in honorem nouem mensium, quibus Virgo DEVM *vtero gessit.* 180.

P. CAROLVS SPINOLA SOC. IESV
PRO CHRISTIANA FIDE IN IAPONIA MORTVVS
X. SEPTEMBRIS M.DC.XXII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VITA P. CAROLI SPINOLÆ SOCIETATIS IESV.

CAPVT I.

Natalis, & Religiosæ vitæ dilectus.

NATVS est CAROLVS Genuæ anno quarto & sexagesimo supra millenos quingentenos, progenie Comitum Tassaroliorum: qui locus Genuâ abest itinere ferè diei. Auum habuit Comitem Augustinum Spinolam: quem Cæsar Carolus, eius nominis Quintus, ob diuturna cùm bello tum pace obsequia, amplissimis vectigalibus est muneratus. Vir fuit inclytæ fortitudinis famâ, quam varijs seditionum tumultibus patriæ suæ probauit. Ac tum inprimis, cùm fratris sui Bartholomæi ope, impetum fregit Gagnini Gonzagæ; qui, pulsato quem vocant S. Michaëlis muro, oppidum eâ parte inuadebat. Missus deinde cum ex-

peditis peditum copijs ad portum Finum, hoſtem iam in ripâ expoſitum, lociſque propè potiuntem, fudit. Semel & iterùm Sereniſſimæ eius Reipublicæ copias ſummo cum imperio duxit: quo tempore, cùm fortè in Corſicâ degeret, ſeptem Corſorum millia prope Moreſagliam deleuit. Fuêre Auguſtino quinque filij. Horum natu maximus M. Antonius, quatuor & quadraginta annorum ſpatio, quaternis continenter Imperatoribus, Carolo V. Ferdinando I. Maxæmiliano & Rodolpho Secundis, operam vario obſequiorum gradu, impendit; initiò, à cubiculis; deinde, à maiore ſtabuli præfecturâ: denique, motum formandorum Magiſter datus filijs Maxæmiliani Auguſti, cùm in Hiſpaniam proficiſcerentur; vbi & ſacrâ D. Iacobi cruce & lautiſſimâ penſione eſt ornatus. Huic proximus Hector Spinola, è Philippi Secundi puero honorario in alia munera promotus, ab eodem Crucis Alcantarenſis inſigne cum liberali ſtipendio accepit: atque hic, bello cum Turcis nauali, triremes Reipublicæ ſummâ cum poteſtate adminiſtrauit. Tertius, Philippus, ex Antiſtite Nolano Cardinalis factus eſt à Gregorio XIII. petente Cæſare Rodolpho. Quartus, Fabricius, cùm literas primùm adamaſſet, ſtudio amplectendę vitæ ſacræ, deinde vrbanis honoribus contentus,

ætatem

ætatem in patriâ procul strepitu exegit. Postremus, Octauius; & ipse Imperatori Rodolpho inprimis charus, eiusque magnus stabuli Magister. Hoc parente ortus est Carolus, qui peractâ infantiâ, excultaque primis Grammaticæ rudimentis pueritiâ, in Hispaniam (per quam nescio causam) contendit; vnde mox redux in Italiam, commigrauit Nolam, ad patruum Cardinalem Philippum; qui vrbis illius sacra, tum Antistes, procurabat. Hîc curis denuò in studia versis, animum disciplinis, corpus dignis nobilitate laboribus exercuit: quibus se nempe ad quamcumque fortunæ conditionem fingeret; quam aut patrui Cardinalis liberalitas, aut patris sui apud Cæsarem gratia, sibi aperiret. Sed nimirum, qui alia omnia destinabat DEVS, hisce cogitationibus interlapsus, omnem repentè terrenarum rerum affectum procul animo Caroli relegauit, ac viuam quamdam indidit cognitionem altiorum rerum: quanta scilicet breuitas esset humanæ vitæ; quanta incertitudo supremæ illius horæ; quàm instabiles mortaliũ spes, quæ Deo non sunt nixæ; quàm caducę sæculi dignitates: quæ sępè aut vix susceptæ euanescunt, aut si aliquanto temporis tractu perseuerant, possidentẽ, amaritie; deserentem, dolore vexant. Dum has similesque cogitationes cum animo suo versat, commodùm

nuntij Neapolim adferuntur de morte P. Rodolphi Aquauiuæ, Ducis Hadriæ filij, Societatis noſtræ Sacerdotis, quem barbari Salſetanarum Inſularum, in odium Religionis Chriſtianę, necauerũt Idibus Iulij anno 1583. Id mortis tam fortunatæ genus, vehementiùs ſcilicet generoſum Caroli pectus percuſſit; qui alienæ victoriæ flammâ accenſus, mox etiam paris deſiderio mortis exarſit. Re ergo DEO commendatâ, ſecum ſtatuit Religioſum Societatis IESV Ordinem inire, iterq; in Indiam omni deinde contentione procurare. Haſce res Carolus ipſe affirmat ſcriptis Omurano è carcere literis ad Reuerendum admodum P. Mutium Vitelleſcum, hoc ipſo tempore Præpoſitum Societati vniuerſæ. Quibus poſt alia, narrans ſuam ob Chriſtianæ legis præconium captiuitatem, eximium hoc ſuæ patientię beneficium, maximam partem acceptum refert precibus P. Rodolphi, cuius ſe morte pro Chriſto obitâ excitatum, ad Societatis Iaponicæque profectionis ingreſſum tam enixè flagitandum affirmat. Neque parum etiam ad hoc conſilij arripiendum eius mentem inflammarunt verba quædam, altè in eius animum demiſſa impreſſaque, à noſtro quopiam excellentiſſimæ virtutis viro; quæ cum alijs nonnullis, tum vni præ ceteris (quo in Iapone ad imbuendos Catecheſi barba-

barbarorum animos vtebatur) ipse aperuit in hanc ferè sententiam: *Aliquando cùm fortè adhuc adolescens inter æquales versaretur, abstractum se seorsim à Patre quodam fuisse, qui ei prædicebat, fore eum aliquando Societatis Religiosum, profecturumq; in Regnum, cui Iaponis nomen, ad fidem propagandam. Ac tertium aliquid præterea ab eo sibi dictum aiebat Carolus, quod huc vsque non euenerat.* Cuiusmodi verò id esset cùm flagrantissimè scire ille cuperet, nihil aliud à Carolo responsi abstulit, quàm, fore aliquando vt sciret. Resciuit autem ex homine aliquo Societatis, cui id fortè à Patre erat indicatum; sanguine nempe suo Religionem eum esse signaturum. Atque hinc incessit rumor, mox promptis Iaponum sermonibus vulgatus, Carolum à puero præsciuisse moriturum se ob Euangelicæ veritatis prædicationem.

CAPVT II.

Ingressus in Ordinem Societatis IESV, *& studia.*

POSTQVAM iam secum statuisset, Christum vocantem sequi, desiderium hoc suum cum ijs pertractauit, penes quos sciebat auctoritatem esse, sui in Religiosam familiam accensendi. Ab his verò id iussus est, cogna-

tis amiciſque indicare; cùm nihil antiquius Societas habeat, quàm prouidere, vt parentum ſuorum voluntate veniant, quos DEVS ſibi in familiam adſcribendos mittit. Id indicium Carolo occaſionem aperuit, quàm altas in eo egiſſet radices cæleſte illud ſemen, repertâ non leui eorum repugnatione, qui (vt ſolent) primi ferè huiuſmodi ſeſe conſilijs opponunt, non interuertendi, vt aiunt, ſed periclitandi ſtudio: An diuinus ſit nempe inſtinctus, necne. Neque ſanè in tanti momenti re damnanda eſt ea cura, dum metas modumque non excedat: at vbi apparet, eas adhiberi artes, quæ aut planè huc non ſpectant; aut tum ſolùm adhiberi, cùm de Religioſi ſtatus electione controuertitur, parum verò de Numinis voluntate inueſtigandâ agitari; & ſi quando filius in aliud quodpiam periculoſioris vitæ genus procliuis abripitur, tum certè non iniuriâ timeri poteſt, ad repugandum eos impelli; ſpecie quidem ſtudij honeſti, reuerà autem dominatu indomiti, deprauatique alicuius affectus. Quanta verò ex aduerſo fuerit Caroli in tenendo propoſito conſtantia, vel vnica eius teſtari poteſt epiſtola, Cardinali Philippo (Romę tum agenti) ſuper hoc argumẽto ſcripta. Quæ, quia ſingularem feruorẽ ac ſanctam quamdam ſpirat libertatem (qualẽ in id genus negotijs Hieronymus requi-

requirit) hoc loco adferetur, ad fidem autographi (quod in manibus habui) accuratè exacta. Sic ergo habet: *Intellexi proferendum esse benè longè aduentum P. Rectoris: sed obtestor D. V. Illustrißimam, ne grauetur proximo tabellario sententiam mihi suam perscribere; vt festo S. Thomæ ingredi in Societatem queam. neque diutiùs, obsecro, me moretur, quia moras non fero. Aduentu Rectoris iam mihi non est opus, cùm hîc adsit Prouincialis, qui compotem me facere possit. Si fortè D. V. me ducat, donec responderit Dominus Octauius, affirmo, eius me approbationem sus͂q; deq; habere: nam, seu venerit, seu manserit, desiderium meum tamen numquam retardabit. Quòd verò cum Illustrissimâ D. V. hanc rem tractauerim, id solius officij dicisq; causâ feci, indecorum ratus, si omitterem; non quòd auctoritatem veniam͂q; vestram exspectarem. Nam, quamuis veniam mihi recuset, ego vltrò mihi faciam, iboq; in Collegium, neque inde discedam; neque expellere me valebunt, quando* DEO *potiùs, quàm alteri, debeant obedire; ac si fortè in suorum me numerum referre nolint, scribam ad eorum Præpositum Generalem; aut etiam efficiam, vt ipse Pontifex Maximus intelligat rescisca͂q;. Imò, vt me deficiant omnia, spero saltem, non defuturum angulum aliquem in extremis mundi finibus, in quo vel herbarum radicibus vel pauxillo*

salsæ aquæ viuam: nam si DEVS *pro me, quis contra me? Si modestiæ modum excessi, D.V. quæso, adscribat magnitudini desiderij quo feror in Religiosam vitam. Spero Illustrissimam D.V. vtpote Cardinalem (hoc est Ecclesiæ sanctæ cardinem ac speculum) non commissuram, vt tantum boni negetur vni Nepoti suo indigno. Etenim si alijs eum Ordinem ingredientibus semper fauit, mihi certè videtur etiam amplius adesse debere. Pluribus supersedeo, ne molestus sim. Nolæ, 7. Decemb. 1584.*

D.V. Illustrissimæ ac Reuerendissimæ
humillimus deuinctissimusq;
seruus Carolus Spinola.

His acceptis literis Cardinalis (vt erat vir mentis incorruptæ, sinceroque affectu, hoc negotium complectebatur) tantâ adolescentis perspectâ constantiâ, vocationisque diuinæ certitudine, penitus acquieuit, suumque ei consensum sine morâ præbuit. Magnis incedebat lætitijs Carolus, tam expetitæ consensionis nuntio allato: nec aliud præterea moratus, annum agens vigesimum, DEO perpetuùm se dicauit in Societate IESV 23. Decemb. anni 1584. ingressus Tirocinium Prouinciæ Neapolitanæ, quod tum Nolę exercebatur. Tironis mores formauit P. Bartholomæus Riccius singulari bonitate vir; sub cuius disciplinâ vitam egit consentaneam tam illustri

illustri morti. Cùm verò id temporis operarum paucitas non sineret, vti nunc, Nouitios biennio in Tirocinio degere, studijs alijsque muneribus vacuos; in Leccense Collegium, exacto primo Nouitiatus anno, Præsidum imperio missus est; quâ in domo non minores, quàm in Tirocinio, progressus virtutum habuit, anno ferè toto vsus contubernio P. Bernardini Realini, viri, cuius eximia sanctitas an cælestibus honoribus dignanda sit, sacri iam Senatus comitijs agitatur. Ceteras inter res, quas cum P. Bernardino id temporis Præfecto suo spirituali consultatas cupiebat, vna illa fuit; Deberétne à Moderatoribus contendere, vt in Iaponem (quò vocari se sentiebat) mitteretur. Re cum DEO tractatâ, contendendum id ei Pater affirmauit, scripturumque se simul recepit ad Præpositum Generalem; atque asseueraturum ei disertè, non posse non benè vertere, si ille mitteretur, quo DEVS in ijs terrarum tractibus vsurus haud dubiè esset, ad multarum animarum salutem. Eo responso adeò desiderium suum Carolus stabiliuit, vt deinde (quod ipse suis ad Generalem literis suprà iam allatis ostendit) neque aduersarum valetudinum grauitate deterritus, (quibus in Italiâ conflictari solebat; neque ventorum rabie, aut maris tempestatibus, quæ iter cuntis vexauerant, con-

ſternatus, neque reditus difficillimi in Luſitaniam tædio victus, ſpem vmquam abiecerit voti ſui conſequendi. Iam vertebant extrema Tirocinij & anni ſimul 1586. tempora, cùm Neapolim, Superiorum iuſſu, ad inchoanda Philoſophiæ ſtudia vocatus, in ſocietatem incidit B. Aloyſij Gonzagæ, cuius ſe vſum ſanctiſſimâ neceſſitudine ijs ipſis in literis gloriatur, dum is Româ Neapolim, valetudinis recreandæ, audiendæque Metaphyſices causâ, eſt tranſmiſſus. Exacto probationis biennio, vota nuncupauit præcipuo quodam animi ſenſu, dum ſecum cogitaret, illâ ſe potiſſimùm luce, DEO aſtringi arctiùs, quo DEVS ipſe, inaudito amore mortalium, faſcijs conſtringi voluit in antro ſtabuli Bethleëmitici. Iam longiùs in Logices proceſſerat curſu, cùm tuſſis ei ſanguinem cum ſputo erumpentem extudit. Quam ob rem, Medicorum Præſidumque conſilio, aëris mollioris ſalubritate recreandus viſus eſt. Hac causâ inſtauratis parumper viribus, Carolus Neapoli Romam tranſiens, indidem tantiſper operam dedit P. Clauio Mathematicas diſciplinas docenti, dum Mediolanum proficiſceretur. Hìc valetudinis habitu firmato, reliqua deinde Philoſophiæ ſpatia in Brerenſi Collegio decurrit: quibus confectis, primam Grammatices ibi-

dem

dem habuit scholam. Annum hoc labore defunctus, simul Theologiæ discendæ, simul Mathematicæ docendæ par ingenium attulit.

CAPVT III.

Virtutum exercitamenta.

DVM Philosophiæ Theologiæque altioribus disciplinis imbuitur, non capacius scientiarum pectus, quàm colendis virtutibus procliuem animum probauit. Eiusmodi enim inter hæc studia fuit Caroli vita (si intimorum sodalium testimonijs credimus) vt domesticis fuerit exemplo, externis admirationi. Hodieque supersunt, qui (vt eorum verbis vtar) sic de Carolo testantur, *Religiosum eum fuisse singulari animi feruore*, DEO *penitus deuotum addictumq;*, *Regularum obseruantissimum*; *tamq; amantem tolerandi aduersa, quàm hostem suarum commoditatum. Eiusmodi verò constantiâ præditum in rebus spectantibus ad gloriam* DEI, *vt verè scitum illud vulgò obseruaret, Age quod agis; nec promptior videretur in suscipiendis pro* DEO *laboribus, quàm tenacior in perficiendis.* Atque vt ad res singulares descendam, auidissimus inprimis erat orationis, præcipuè illius quæ peragitur mente; cui in dies plus aliquanto temporis,

poris, extra præscriptum, tribuebat. Statas verò orandi horas eâ curâ diligentiâque explebat, vt iam inde à Tirocinij ipsius exordio (quod narrauit mihi quidam è Sodalibus illi familiaris) consueuerit; primo quo orandi tempus indicatur signo, in genua se abijcere prostratum, eoque corporis habitu perseuerare immotum, dum hora præteriisset. Orationes duas, quarum procul dubio primam, fortè & alteram composuit, quotidie voce recitabat; ijs, non manè modò, cùm è lecto surrexisset, sed crebrò etiam (vt equidem credo) per diem, DEO se iungebat. Quæ ambæ, quia ardentes affectuque plenæ, atque indices sunt ingentis illius desiderij, quo martyrium feruentissimè expetebat, huic inserendæ loco visæ sunt.

Adoro te sancta Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Deus meus & omnia. Gratias ago tibi pro Creatione, Redemptione, Conseruatione, sanctissimis Sacramentis, Vocatione ad hanc Societatem, & pro omnibus innumerisq; beneficijs mihi & toti mundo concessis. En, Domine mi, me totum, & quidquid intra me ac extra me est, cogitationes, verba, opera huius diei, ac totius vitæ meæ, in sacratissimi Filij tui Sanguine inuolutum, in tui amorem & gloriam, ac proximorum salutem tibi offero & dedico. Aufer à me quidquid displicet in me, & da mihi quid-

quidquid tibi placet. Dirige, & posside me iugiter secundùm beneplacitum tuum: da, per viscera B. Virginis, vt numquam te offendam, sed semper faciam tuam voluntatem. Perfectionem in spiritu Societatis IESV *tribue, vt gaudium meum sit plenum. Perfunde me spirituali lætitiâ, vt te in omnibus & vbique inueniam, ac tandem per martyrij palmam ad te peruenire merear. Amen.*

Altera huiusmodi est:

Dignare, benignissime IESV, *per hoc sanctum nomen tuum esse mihi* IESVS, *& dare mihi spiritum Societatis* IESV. *Insere, quæso, cordi meo hoc amabile nomen tuum, vt eius dulcedine pascar, eiusq; amore ita ardeam, vt moriar in te,* IESV *mi dulcissime,* IESV *mi suauissime,* IESV *mi dilectissime, inuocato semper hoc iucundissimo, hoc mellifluo, hoc salutifero nomine tuo,* IESV, IESV, *Amen.*

Peculiari quadam Religione venerabatur augustissimum Eucharistiæ mysteriũ; quam (præterquam quòd viseret adoraretque per diem sæpiùs, ac sumeret quot hebdomadis, vt solent, qui in Societate non sunt Sacerdotio initiati) sæpiùs etiam vsurpabat, permissu Præsidum; eo ferè die, qui laxandis Scholasticorum animis datur, cuius ille maximam partem (in suburbano rure, quo cæli exercitijque causâ itur) cum Sodalibus quibusdam,

ex

ex condicto, cæleſtibus de DEO, de virtute, ſermonibus conſumebat. Nec aliter quàm ſanctiſſimis id genus colloquijs horam (quæ à prandio cœnaque remittendæ ſtudiorum contentioni præbetur) expendebat. Si autem fortè mentio incidiſſet, pro Chriſto in furcâ aliquâ moriendi (quam ſperare paratam ſibi in Iapone, dicere conſueuerat) tum verò verbis ille geſtibuſque tam ardentibus vtebatur, vt audientes facilè inflammaret. Rarâ quadam teneritudine, beatiſſimam Virginem reuerebatur; quam cùm priuatis tum publicis prodebat ſermonibus, quos affectu fiduciaque pleniſſimos habuit., cùm Breræ Parthenij Sodalitij congregationē quadriennio adminiſtrauit. Inter reliquos, ſingularem adinuenit precandi modum, repetitâ nempe ad coronulam nonies ſalutatione Angelicâ: quam voluebat interiore quodam ſenſu, meditando vnum aliquod è nouenis beneficijs Virgini conceſſis à Chriſto; nouenûm vtique menſium fructu, quibus in vtero Virginis fuit. Id precis genus, ſi cui fortè imitari lubeat, ad calcem Libri attexetur. Flagrabat immensâ animarum lucrādarum cupiditate, quæ priùs etiam quàm earum procurationi Sacerdos adhiberetur, quà potuit, erupit. Subinde namque longiore illo ſcholarum iuſtitio, (quo ſub anni finem vacatio datur)

datur) ille, alterius cuiuſque laxamenti oblitus, pagos caſtellaque concionabundus obibat, agreſteſque animas ſanctioris vitæ rudimentis excolebat. Cui operi tam erat addictus, vt ſi fortè Iaponicam miſſionem (quam gentis illius ſaluti procurandæ ambiebat) à Superioribus nòn impetraſſet, omnem retrò vitam docendæ Catecheſi fuerit conſecraturus; quemadmodum ſcriptis ad Præpoſitum Generalem literis flagitarat. Hunc ipſum zelum, cùm ſcholarum Magiſtrum ageret, formandis diſcipulorum ingenijs; dum Sodalitio præeſſet, erudiendis Sodalium moribus, explicauit. Ita quippe interualla temporis diſpunxerat, vt ſuâ cuique attributâ horâ, ſeorſim cum vnoquoque tractaret. Et nunc ſalutis commune negotium, aliàs meditandi artem, nonnumquam puritatis amorem commendans, optima diuini timoris ſemina tenellæ illi ætati, & ad omnem virtutem facili committebat. Quâ induſtriâ iuuentutis animos inſigni adeò feruore accendit, vt quidam præcipuâ nobilitate clari, non ſine admiratione, approbationeque aliorum, ſubinde viſi ſint, in publicâ Gymnaſij areâ, Chriſtianæ humilitatis mortificationiſque exercitia frequentare. Alij, contemptâ ſæculi vanitate, in Cœnobia diſceſſêre, vulgoque inſignes morum commutationes conſecutæ ſunt.

sunt. Nec minus ipse, sui domandi exercendique, ac patiendi pro amore Christi, studio ferebatur. Nullius quippe admittebat immunitatis priuilegium, etiamsi tenuitas virium, multo sanguinis sputo, morborumque vexatione attrita, iustam poscceret causationem. Verebatur nempe, si rebus obuijs non vteretur, viam sibi in Indiam præclusum iri. Corpus macerabat voluntarijs ieiuniorum, flagellorum, ciliciorumque pœnis. Frequens Nosocomijs nauabat operam, adducto nonnumquam è congregatione Marianâ Sodalium grege. Perpetuò excubabat in sui ipsius contemptum, publicus vitiorum suorum accusator & vindex. Diuitiæ illi erant, subleuare mendicationibus egentes; deliciæ, nihil admittere deliciarum, sed quàm longissimè ab ijs abesse, quæ vel speciem haberent speciosi. Fine studiorum, admonitus de propugnandis, in confessu publico, Theologiæ iam emensæ quæstionibus; id honoris quàm studiosissimè deprecatus, non obtinuit apud Superiores. Nactus discipulorum quæ poterat aduersaria (quibus illi ea exceperant, quæ ipse Mathematicam docendo dictarat) sicubi fortè suum repererat inscriptum nomen, expunxit. Qui astus, etiamsi quidem parum valeret obscurando Auctori; planè tamen ostendebat, quàm alienus esset à rebus omni-

omnibus, quæ opinionem illi apud homines conciliare possent. Etiamsi verò naturalibus ingenij, iudicij, scientiarumque ornamentis admodum esset spectandus, numquam vllius altioris spiritus indicium fecit aut existimationis, quâ se vel supra inferiores efferret, quibuscum affabili familiaritate consuêrat. Neque solùm seipsum aspernabatur, sed illatis quoque iniurijs, acceptoque gaudebat contemptu. Cùm Genuâ in Indias solueret (quò tribus præcipuè de causis se ire affirmabat, nimirum, vt ignaram veræ Religionis gentem instrueret; vt quàm longissimè à consanguineis abesset; vt denique honoratorum munerum, quæ sibi fortè Superiores imposuissent, occasionem subterfugeret) triremis Præfecto, singularis illius habendi cura, cùm à cognatis tum à Patribus fuit commendata, ne commodus ei deesset locus. Permisit tamen, qui suos scilicet periclitari hisce experimentis solet, vt nullo honoris discrimine, in imo saburræ loco, inter ipsas sentinæ remigumque viliſſimorum sordes locaretur. Sed neque hîc iniuria stetit: nocte illâ totâ, quæ lucem, quâ vela facienda erant, præcessit, mancipiorum nautarumque risui ludibrium præbuit, eâ morum constantiâ, vt non solùm nullum daret aut voce aut gestu irritatæ patientiæ signum, sed contrà, multa hi-

laritatis ederet argumenta. Sic manè, cùm triremis fortè afflictu scopuli labefacta, in portu manere coacta est, e vectoribus intellectum, qui virtutem patientiamque hominis fuerant admirati. Virtus nimirum cuiuscumque vel nocentissimę linguæ afflatibus obscurata, decus tamen venerationemque nec in ipsis maledicentium animis amittit. Absoluo narrationem, si frustum adiecero litterarum, quas 6. Decembris anni 1595. Genuâ Mediolanum scripsit Patri Pompilio Lambertingo, Socio suo, cùm idoneam nauigandi tempestatem opperiretur; è quibus elucet desiderij non leuis specimen, quo tenebatur, ad tolerandum difficilia quæque pro Christo. Sic habent: *Præteritis diebus, ne tempus perderem, Litanias collegi nostrorum, qui huc vsque pro Christo sanguinem fudêre. Inueniq; in Vita P. Borgiæ, quam Ribadineira Hispanicè scripsit, nomina Sociorum omnino* 40. *quæ adeò requirebam, ab hæreticis, odio Religionis, demersorum in mare. Nomina præterea reperi aliorum nouem, qui in Floridâ Insulâ ob eamdem causam interempti sunt. Duxi ea Reuerentiæ vestræ perscribenda, vt numerum haberet absolutum, meiq; subinde memor, eorum me precibus cõmendaret, vt & virtutes imitari queam.* Deinde post pauca: *Quid me vult facere? Si pati aspera non poterimus, at saltem delectabit specta-*

ſpectare quæ alij tolerarunt, eorumq; nos flammâ accendere ac parare. Ecquando erit illud tempus! ô dies! ô hora! ô momentum! ô Pater Pompili, quanta ſuauitas, vel cogitare ſecum pœnas mortis pro Chriſto toleratæ! Ecquid ergo erit ipſum mori? Sic verò epiſtolæ clauſulam abſoluit: *Iam Reuerentia veſtra hoc tam inſigne munus meum remuneretur, viſendo ſemel ad ſacratiſſimum Chriſti clauum; eumq; deprecari, vt illo mihi cor configat, affixumq; pedibus ſuis retineat in cruce.* Per hanc occaſionem, eos venerari cœpit, qui ſanguinem Chriſto impenderant in Societate; priuſque eorum nomina, catalogo in morem Litaniæ collecta, priuatim recitare, quàm publicè vulgarentur adeò, vt ſanctis eorum veſtigijs inſiſteret, memoriam quoque oculis animoque volebat eſſe impreſſam.

CAPVT IV.

Miſſio Cremonenſis, & in Luſitaniam.

ANNVS agebatur 1594. decimus ab ingreſſu Caroli in Religionem, vltimuſque ſtudiorum; cùm, pro more Societatis, ſacris Ordinibus Sacerdotioque eſt initiatus. Noua hæc dignitas nouum ei afflauit ardorem. Quoniam verò vnum de præcipuis ſacri huius ſtatus muneribus eſt, precum diui-

narum recitatio; vt huic debito ſuo maiore cum reuerentiâ perſoluendo operam daret, cogeretque ſeipſum in locum aliquem ab omni ſtrepitu abductum, ſtatuit non niſi de genibus eas preces recitare: quo more nihil tenuit pertinacius, etiam inter Iaponicæ miſſionis defatigationes. Prætereà, vt purior quotidie ad aram facturus accederet, ne adferam incitamenta varia, quibus ille in animo ſuo viua quædam accendebat iungendi ſe cum DEO deſideria, ſæpiùs per hebdomadam pœnitentiæ ſacris mentem expiare conſueuerat: idque tanto (quod caput eſt) faciebat ſenſu, tot lacrymis, tot gemitibus ſingultibuſque, vt, quod viuus etiamnum teſtis affirmat, è propinquis cubiculis audiretur. Carolus igitur, appetente ſtudiorum Theologicorum fine, ratus idoneum id eſſe tempus, antiquo ſuo in Indias proficiſcendi deſiderio exequendo, ſcriptis litteris intermiſſam contentionem denuò cœpit adhibere. Sed nullâ tunc quidem aliâ conſtitutâ re, Carolus à Superioribus (vtpote miſſionum amans) Cremonam miſſus eſt, vbi plurium Sociorum per id tempus opera expetebatur. Huc vnà cum comite Sacerdote appulſus, ſtatim, vt erat apprimè feruens, ad omne ſe hominum genus adiuuandum effudit. Ac primò, cõciones feſtis diebus in templum cogere; deinde

in

in plateis (insolito id temporis concionandi modo) ad obuios quosque, qui rariùs in templa conueniunt, ex altiore loco dicere, ne eo saltem diuinæ sementis fructu priuarentur. Collapsum etiam tantò maiore damno Catecheseos vsum, quantò is vtilior magisque necessarius est saluti; erexit ipse, non solùm è templo in templum die vno ambulando sæpiùs, docendoque iuuentutem, sed etiam Sodalitium, tam sancto operi promouendo perpetuandoque excogitatum, stabiliuit. Ne verò puellæ huius essent expertes institutionis, nobilium aliquot feminarum industriam exacuit, vt earum exemplo auctoritateque res nixa caperet progressum. Quod initiò (cùm indecorum nobilitati suæ mulieres ducerent) non sine molestiâ est impetratum. Nec prætermittebat cœnobiorum, quæ Episcopis parent, perfectionem adhortationibus confessionibusque procurandis adiuuare; cui operæ non contemnendus respondit fructus. Vnum certè sacrarum Virginum gynæceum fuit, in quo, communis vitæ memorabili corruptelâ, proprijs quæque vtebatur bonis: donec commotæ perculsæque adhortationibus, quas de perfectionis vitæ debito regularumque obseruatione P. Carolus frequentissimas habuerat, priuata commoda in commune contulêre. Quod vt constantiùs

tiùs tenerent in posterum ; habitis plus semel super eâ re consultationibus, pœnâ deinceps in peccaturas animaduertendũ censuerunt: quod præsente Antistitis Vicario deinde perpetuum fore decreuerunt. Neque eo contentæ, litteris prætereà petiêre ab Illustrissimo Cæsare Spetiano, Antistite Cremonensi, per id tempus Nuntio ad Imperatorem Legato, vt decretum suâ quoque auctoritate sanciret. Lætus tam prospero successu Præsul, postquam, decreto approbato, intellexit id P. Caroli Sociorumque fuisse procuratione conceptum; non litteris modò affectus gratulationisque plenissimis (vt erat in Societatem prolixus) sed Collegij insuper Cremonensis fundatione cœptâ, voluntatem testatus est: neque priùs desijt, quàm reliquum, quod deerat annui vectigalis, magno ære suo expleret; Collegio demum herede ex asse instituto, vnde & fundatoris est titulo decoratus. Dum ergo Cremonæ Carolus operam iuuandæ proximorum saluti locat, allati sunt exspectatissimi illi nuntij profectionis in Indias concessæ: quam vt primo quoque tempore adornaret, Mediolanum citissimè reuersus, valere iussis consanguineis notisque (quos non minore sui opinione, quàm sanctâ quadam inuidiâ compleuit) Genuam tempestati expectandæ contendit. Cognati, intellectâ discessus imminentis

nentis propinquitate, quantis potuêre artibus iter auertere, Carolo dissuadere, Maiores, vt impedirent, flagitare. Irrita cecidêre consilia; ac tum quidem amici acquieuere: sed mox vbi triremis, quâ vehebatur, in ipso portus exitu ad saxum (vti diximus) impacta, periculum subeundi maris adijt, coactaque est vectores in terram exponere donec reficeretur, illi denuò maiore vi adhibere preces, recensque triremis discrimen in omen vertere Numinis irati, quo velut monitu soluere eum in Iaponem apertissimè prohiberet. Nihil ponderis habuere blanda amicorum verba in illius animo, qui iam præuisas Oceani tempestates cogitatione generosissimâ superarat. Reputabat nimirum, insignem esse degeneris animi segnitiem, primis frangi aduersitatibus. Intelligebatq; , labores diuino obsequio impensos, esse certissimi instar arrhabonis felicium successuum, illi qui Deo niteretur. Instauratâ igitur triremi, lætus Geneuensi portu in Hispaniam soluit: quò post ingentem Mediterranei maris procellam appulsus, exscendit Barcinone, indeque in Lusitaniam pedestri itinere Vlissiponem festinauit, ne temporibus nauigationis Indicæ excluderetur. E sententiâ Carolo hucusque iuere res, vt vela quidem in Iaponem facere eo anno posset, non tamen assequeretur optatissimum exitum

nauigationis; quia biennio ferè toto iactatus, tot maria peregrinasq; gentes, aduersis iactatus tempestatibus, adire coactus est: post quas remetiendum denuò in Lusitaniam fuit iter. Vt verò tam longi difficilisque cursus discrimina clariùs intelligantur, operæ pretium facturum duxi, si ipsas eius litteras in capita, quò faciliùs legantur, diuisas huic narrationi intexerem: quibus, dum nauigationis suæ rationes laboresque aperit Claudio Aquauiuæ, id temporis Præposito Generali, simul quanta & ipse passus sit, quantaque exhaurienda sint ijs incommoda, qui ex Societate huiusmodi pro Christi amore profectiones amplectuntur, ob oculos ponit. Sic igitur loquitur: *Iam menses multi sunt, cùm Admodum R. P.V. scripsi è Brasiliâ primùm, deinde è Portoricco, ex Angliâ denique; ad quas omnes terras,* Dei *permissu, latus sum, experiundo fortè tirocinio itineris mei Iaponensis, & martyrij, quod ibi, spero, me exspectat. Iam Vlissipone scribo, quò perueni 8. Ianuarij vnà cum comite meo P. Hieronymo de Angelis.* (Sacerdos hic natione Siculus, incendio quoque lento ob fidem in Laponiâ occisus est, anno 1624.!) *Quoniam autem dubito, an epistolæ meæ perlatæ sint; existimoq;, ob insignem suam charitatem cupere intelligere successum laboriosissimæ longissimæq; nauigationis nostræ, accuratè referam quæ*

eue-

euenêre; vt Paternitas sua, expendendo longas filiorum suorum peregrinationes, eorum miseratione tangatur, Deoq; cum eis gratuletur, tot benignè elargitis fauoribus, gratiamq; eis impetret maiora etiam pro Christo tolerandi.

CAPVT V.

Profectio è Lusitaniâ in Brasiliam.

Octo Societatis homines conscendimus, è quibus Itali quinque vnâ fuimus in naui, quæ omnium opinione habebatur de optimis; erátque naui Francisco nomen. Hanc vt primum conspexit bonus Pater Iacobus de Vicariis, augurari cœpit, è multis quæ inerant crucibus, non defore materiam patiendi. 10. Aprilis anni 1596. comitati quaternis nauibus magnis aliisq; minoribus lætitiâ exultantes discessimus; quòd nobis videremur iam mundo mori, penitusq; à patriâ atque ab amicis omnibus & notis corpore etiam abire. Intra paucos dies, prospero vsi vento, latus Guineæ tenuimus; extremóque Aprili, noxia dierum aliquot malacia languorem corporibus, labem annonæ, stomachis nauseam attulit. Postridie Calendas Maias, ventus in contrarium versus est; interuallóque dierum viginti, in secundum & quartum Boreales gradus, nunc Orientẽ nunc Occasum versus impulsi, nouos quidem ventos cáptauimus, sed maiore

itineris dispendio, quàm progressu. A 13. aspirauêre secundiores auræ. A 26. sub vesperam festâ hilaritate transgressi Aequatorem, tam faustam sensimus prouectionẽ, vt binos die vno gradus decurreremus, proris in latus Brasiliæ directis, aduersus scopulos, quos Lusitani appellant Abrolhos, vt ventos nanciscemur idoneos Promontorio Bonæ-spei tenendo. Eo temporis tractu ego publicandæ doctrinæ sacræ, audiendis confitentium culpis, aliysq; Societatis exercitijs me dedi. P. Iacobus, qui pro suâ in me charitate fatigari me adeò non ferebat, frequens labores meos adiuuabat, magno Lusitanorum solatio, qui sanctitatis de eo opinionem conceperant. Bis in diem Catechesis explicata est, ad quam omnium qui in naui erant fiebat concursus; moreq; Italiæ consueto, Hymni & Psalmi insigni candore pietatéque ab omnibus canebantur. Rixa fortè exarserat inter classiarios & nautas, stabántque hinc inde, hi contis, illi gladijs armati; & exitium imminebat vtrisque. Ego medius interueni, effecíque vt armis positis discederetur, magnâ partium approbatione. Ascensionis Pentecostésque Ferijs, multorum expiatæ noxæ, adiutíque ægri; sed omnium exiles erant morbi. Pridie Idus Iunias manè insulæ aliquot rupésque inopinatò se versus Austrum aperuere, intra altitudinem dimidij gradus & viginti; planè vt si ventus eâ nocte increbuisset, inuectis in

breuia

breuia proris, pereundum omnibus fuisset. Adeò incerta est nauigandi scientia, cùm ob vim æstus inconstantiámque ventorum, tum ob nauium mobilitatem, quâ vsus omnis interit Astrolabiorum: quare nullum præsidium, nisi DEO niti. A dextris deinde sex millium passuum intercapedine, insula conspecta situ edita, quæ multis indicijs credita est esse Ascensionis: illa nempe vicinior littoribus Africæ & Brasiliæ; non altera, eidẽ cognominis, sed inferior loco. Decimo sexto ad Tropicum Capricorni accessimus, vento iam obuertente proras in Promontorium Bonæ-spei; cursúque in id directo, comparabant se omnes aduersus consuetas ei loco tempestates. Cúmque à nouemdecim gradibus promouissemus in sexdecim, intermedio laterum Brasiliæ & Promontorij, sub vesperam clauum nauigij rupit vis venti à puppe spirantis, cetera secundi, sed adeò vehementis, vt eo flante, Promontorium octidui spatio fuissemus superaturi. Vitium clauus fecit, quia malè erat aptus: ea quippe pars quæ aquas subire debebat, tota eminebat, nec vllus supererat partis superioris vsus. Tantum, dum rumpebatur, edebat fragorem, vt omnes terrerentur, crederéntque aut in breuia se incurrisse, dum vela contrahi clamore nautico iubebantur; aut certè occurrisse piscem Aguliam, qui naues solet perforare. Vertit occasionem hanc DEVS multorum bono; qui cùm amore adduci non potuissent,

tuissent, meta emendare vitam statuerunt. Hi namque discrimẽ re ipsâ maius opinantes, quando euadere se posse desperassent, cum DEO, cum inimicis, in gratiam rediere. Alios ad eamdem animi sanitatem adduxere morbi, qui transitu Tropici reditúque se vulgarunt; tum verò longè maximè cum tractu illo maris pestilenti fuit remanendum. Vno subinde die quadringentis sanguis missus. Neque aduersus valetudines æquè atque aduersus tædia diuturnæ desidiæ ac moræ fuere consolandi, quando diuturnitate moræ iacturam faciebant mercimoniorum; neque febris, etsi acuta, plures abstulerit denis. Discors nautarum secutum est consilium; paucis in incerto erant sententiæ, quid pro tempore saluberrimum foret. Nauarchus censebat rectà Vlissiponem redeundum. Contrà alij nitebantur; dictitantes, tam longum cursum sine clauo teneri haud posse. Alij ergo gubernaculum nouum faciendum asserebant, quo in Indiam pergeretur: sed neque fabri aderant, neq; suppetebant ferramenta, & magna erat machina (longa quippe palmos 50. lata nouenos.) Placuit ergo remos duos benè magnos, ex antennis factos, vtrimque ad puppim alligari, quibus per summam vim modicíque velis nauis administraretur; & commodùm, tanta per eos dies erat maris ventorúmque tranquillitas, quantam illis vorticibus sperare poteramus. Confectis remis,

mis, milites qui nautarum ægrotantium inuaserant officia, quorúmque sine ope gubernari nauis non poterat, Nauarchum Præfectúmque Classiariorũ coëgere ad Brasiliæ portum (quem Sanctorum omnium & Baiam vocant) appellere; quòd nempe, si ad Angolam contendissent, necesse fuisset propinquare Promontorio, & mox retrò repetere iter, leuissimâque coortâ tempestate fuissent deterſi remi; neque verò alius securior reperiebatur portus. Sic retrò fleximus cursum, non directò adnauigando Baiæ, sed graduum 14. interuallo, à Meridie rectà quasi in Septemtrionẽ, deinde ab Ortu in Occasum, quod longius fuit iter, causáque nouarum febrium ac morborum, qui remediorum inopiâ etiam ingraueſcebant. P. Iacobus, P. Alexander Ferrari & ego, tot ægrorum tractatione, audiendísque eorum confessionibus, malè quoque habere cœpimus; at illi quidem grauiùs, quia virium habitu erant debiliore. P. Iacobus certè ob constantissimam charitatem quâ ægro cuidam adfuerat, febrim contagione hausit tam periculosam, vt principiò lethifera crederetur. Ego vt primus languere cœperam, ita breuî, per DEI opem, intra octiduum febrim dimisi. Simul omnes contraxêre morbum admodum periculosum, neque aderat qui per id tempus aut laborantibus inseruiret, aut medicamenta suppeditaret, donec ego à morbo valentior, & Pater de Angelis,

ambo

ambo adhuc conualescentes, decumbentibus cœpimus operam collocare, & cibos, aliaq; quæ potuimus, præbere. P. Iacobus mortem suam quasi præsagiens, mecum agere instituit de cælestibus rebus, eo sensu suauitatis, vt facilè indicaret quàm cælo vicinus esset: ijs colloquijs dimidium noctis duximus, cùm noctes totas frequenter apud eum peruigilarem, vt redeunte febri somnum prohiberem. Vix deni, de tanto hominum numero qui in naui erant, id temporis integrâ erant valetudine: ac nisi exscendissemus, latissimè se fuisset pestis vulgatura. Grauius imminebat periculum, ne impingeremus in saxa; cùm neq; vbi versaremur, neq; quàm longè essemus à Brasiliâ, inter nautas constaret. Certè si à Baiensi portu aberrassemus, ad Orientalis Indiæ insulas, absque omni præsidij spe, fuissemus delati. Sed miraculo periculum auertit DEVS: cùm namque erraremus, vicini saxis terræq; quam situs humilitas nebulæq; crassitudo abscondebat, sub auroram, ortâ magna venti vi, ostendit se actuaria vna Rupellensium, quorum multi ea littora legebant. Hæc ad nauim nostram cognitum propiùs venit; non ausa tamen, ob magnitudinem multitudinemq; tormentorum, nostram lacessere; sed redijt ad socios, fortè admonendos. Eâ re excitati nostri, excubare scilicet, obseruaréque, an quæ vela fortè apparerent: cùm subitò aduertunt, vix fistulæ minoris

iactu

iactu abesse se à continente; fuissentq; eo vento in rupes acti, si porrò processissent. Ea nox diem sequebatur, quo tot retrò annis pro Christo moriebatur P. Rodolphus cum Socijs, alijq; 40. itinere Brasilienſi, quibus admodum semper deuotus fui: atque vt eo maris tractu submersos eos ab hæreticis in fidei odium fuisse recordabar, ita perpetuò quasi præsentes animo meo obuersabantur. Detectâ continente, mare ingressi, ægrè vel per lucem, aut quod latus teneremus, aut quis portus esset, cognoscere potuimus, in quem Idibus Iulijs primâ luce hilares sumus inuecti. Patres Collegij, cognito nauem esse Indicam, quam casus eò appulisset, statim accurrêre, acceptáque sarcinarum curâ, ipsi in naui permansêre, nobis in Collegium dimissis, ægrísque in lecto positis. Tantâ humanitate sumus accepti, vt die illo, qui septimus erat, P. Iacobus statæ febris reuersione fuerit liberatus, ceteri morbos sensérint remissiores. Neque contenti Patres nos solos adiuuisse, mox reliquis in terram iam expositis, ac semimortuis subuenere, omnium curâ in duos conjectâ. Conualuere omnes, & P. Iacobus quidem ipso Præsidis sibi cognominis peruigilio omnem febrim abiecit; quæ sequenti quoque die interuallata, redijt denuò ad 26. intentione maiore. Sequenti luce sub noctem adeò increuit, vt frigidum ei exprimeret sudorem, agréque (quod magno meo solatio quotidie solebat)

bat) peccata confiteri posset. Cetera Sacramenta cùm efflagitasset, horâ post meridiem nonâ, facto corporeæ scaphæ naufragio, securus iam reliquæ nauigationis, in veræ Iaponis portum (cui maturus erat) placidissimè moriens enatauit. Angelicæ formæ species in ore relicta morientis, migrasse verius quàm obijsse testata est. Mortem ingens excepit vectorum omnium comploratio, qui magnam de eius sanctitate opinionem comprehenderant: Patres indoluêre iacturam viri, cuius tantas virtutes tamq; egregia à DEO collata ornamenta breuissimo tempore deprehenderant. Lacrymas mihi exciuerunt luctus atque inuidia, quando illum comitari non poteram, cuius absentiam mihi damno fore sentiebam; quippe cum quo iam inter nauigandum singulare arripueram studium virtutum, cuiusque optimâ consuetudine vehementer promouebar. Cùm verò per id tempus solus valerem, plurimum mihi laborandum fuit, quà aegrorum nauicularioru̇m confessionibus audiendis, quà socijs meis visendis iuuandísque, exportandis denique (quod grauissimum fuit) è naui sarcinis, subeundóque fundo, quem corrupti aëris inclusione violauerat pestis. Hinc 30. Iulij violenta me febris inuasit sopore mixta; simul stomachum nausea, caput vertigines, alienationésque sensuum corripuêre. Quâ lue afflati quoq; reliqui fuêre, qui ad exinaniendam nauim humilia

milia aluei loca erant ingressi: at, quòd nullum sanguini meo inesset vitium, ego octidui spatio reualui. Nautæ, postquam recuperauerant vires, fabricando gubernaculo adhuc languidi incubuêre. Nos operam nauauimus munijs Societatis.

CAPVT VI.

Discessus è Brasiliâ in Portoricco, & exorta tempestas.

POST quinque mensium moras tandem 12. Decembris soluimus, comitati naue vnâ, saccharo onustâ (quæ in portum redire coacta est, ob fractum in ipso exitu minorem malum) alijsq; præterea onerarijs Belgicis quinque, Patacciâ (vt vocant) vnâ, & Carauelis duabus. Cursum instituimus iterùm in Tropicum Capricorni, vt alto in mari idoneos caperemus ventos, quibus superandum erat Promontorium S. Augustini, vicinum Fernambuco intra octo gradus Australes. Ventus huic cursui secundus quidem erat, sed vehementior Oceani impetus in terram perpetuò naues trudebat, planè vt cùm existimaremus nos procul Abroglis scopulis, qui existunt intra nouem gradus, abnauigaturos, in ipsos proximè fuissemus delati. Sed nempe viridior maris color, marinorúmque ouorum supernatantium copia (quæ

flauas reddebant aquas) animos periculi admonuêre. (Hæc namque, signa sunt vadi aut cæcorum saxorum.) Hîc sese Belgicæ onerariæ à nobis seiunxere: nos altiùs progressi ad gradus 24. modò prosperis modò aduersis flatibus Tropicum transgredimur, rursúmque subimus. Inibat Ianuarius anni 97. vicinúsque ijs locis impendebat Sol: ac licet per dies multos vertici nostro instaret, non magnum tamen concitabat æstum. Tertiâ Ianuarij proras Septemtrioni vertimus, ad superandum S. Augustini Promontorium, quod præteruehimur eiusdem die vigesimo, exactis in itinere diebus quadraginta, quod tridui spatio sæpè confici solet, cùm non respondeant ei gradus plures quinis, Baiáque posita sit intra decimumtertium. Die 25. Aequatorem traiecimus, vbi heims iam erat, sed nullum frigus, imò maior quàm sub Tropico calor. Quatriduo pòst malacia fuit, quam prosper ventus excepit, qui die decimo octauo sub Tropico Cancri nos destituit. Vigesimo iterùm tranquillitas ad extremum vsque mensem, cùm essemus intra viginti gradus. Ventus denuò à puppi spirare cœpit Calendis Martijs, qui posuit, cùm attigimus primum & trigesimum gradum. Nocte Cometes labi visus magnitudine Veneris, versus eam partem vnde deinde flabat ventus, præsagio tempestatis, quæ die tertiâ tantâ sæuitie aduersorum ventorum, primùm Ceciæ, dein

Aqui-

Aquilonis, denique Cori coorta est, vt fluctus nauem hinc inde transilirent, non sine metu consternationéque omnium. Tum verò periculum increuit, cùm nauis infernè dehiscere, hausissēq; mare altitudine decem palmorum est deprehensa: eâ re contractum acacium seu velum maius, summáque diligentiâ exhauriendis insudatum est aquis, vt quâ parte irruperant, deprehenderetur; quod non nisi labore bidui obtineri potuit; cùm primùm obseruatum est, à puppi insinuare se maris riuulum, brachij instar; cuius tamen rima, quâ admittebatur, quantumuis inuestigaretur, non potuit reperiri: quare necesse fuit, continuato per diem noctémque labore, ad antliam incumbere, non exiguâ nautarum classiariorúmque defatigatione. Hic euentus Præfectum ceterósque adduxit, vt (quoniam rimas ageret nauis, eiúsque latera multis essent partibus dissuta per vim tempestatis, multáque è robustissimis deficerent lignis) non tentaretur porrò iter in Canarias aut Insulas Promontorij viridis, obliquo instituto cursu, quoniam sic plus aquæ, cui resisti non posset, intrò erat penetraturum; sed potiùs recto pronóque, pro ventorum libidine, qui fortè mutarentur: ita fore securiorem profectionem flexu non coacto. Quare deiectis in mare arcis octoginta saccharo refertis, vento se permisère; biduíque spatio, expanso dolone solo, peractæ leucæ centũ, non sine discri-

mine; cùm sæpiùs undarum vi, proram vento obuerteret nauis, & vtroque latere subiret fluctus; vt nisi per summam peritiam administratum esset velum, haud dubiè periissemus, ita mortis certæ facies oculis omnium perpetuò obuersabatur. Nos partim orationibus, partim hortandis classiarijs nautísque intenti, diu noctúque audiendis eorum confessionibus vacabamus, cùm id tempus neque somni esset, neque refectionis; præclaréque cum eo ageretur, qui erectus sine lapsu consistere posset. Insignis extitit animorum fructus, cùm multi statuerent in melius mutare vitam; quódque me solabatur, non tam mortis præsentis metu, quàm sincero Dei amore; cuius irati iustam agnoscebant vindictam. Pars maxima confitebantur periculo iam defuncti, cùm nempe distinerentur resarciendâ naui. Plus satis ab annonæ penuriâ tum acceptum incommodi cùm esuriales essent Quadrageſimæ dies. Nobis certè ieiunandum fuit: nam præter farinam Brasilienſem, aquâ calidâ oleóque coctam, nihil suppeditabat, quando pisces omnes iam erãt putredine corrupti. Quamquam nullius valetudo eâ inediâ fuit labefactata; contrà, mirâ animi hilaritate exultabamus, voluntatem noſtram diuinæ voluntatis nutibus metientes. Id vnum cruciabat, tot fuisse ad inferos ruituros, si naufragium accidisset. Sæpè noſtrorum me patrocinio commendabam, qui

mortem

mortem obierant pro Christo, quorum deprecationibus DEVS *nos seruauit. Tres dies ea tempestas tenuit: quâ sedatâ, Corus nos egit ad insulas Indiæ Occidentalis, quibus interuallo leucarum quingentarum distabamus, tempestate æstúque impulsi. Nec intereà neglecta remedia exhauriendis aquis. Adhibitum ingenioſi commenti genus: velum à puppi carinæ ſuppanſum est, multâ ſtuppâ refertum; vt, quâ parte hiabat alueus, ſtuppa rimarum ſuctu attracta, obſtrueret tabularum hiatus. Iuuit remedium ad refingendam excludendámque aquarum vim. Aperuerunt ſe 22. Martij inſulæ aliquot, Virgines dictæ, ante Portoricco: die verò 24. in inſulæ conſpectum venimus, non abſque diſcriminis metu, cùm & portûs eſſemus ignari, & è nautis nullus vmquam eum fuiſſet inuectus. Dum igitur bolide exploramus vadum, deprehenſum ſubitò est, exiguâ nos altitudine nauigare; &, quæ* DEI *gratia fuit, nauis duos inter ſcopulos vecta, quorum alter adferendo ſufficiebat exitio, incolumis euadit. Deterruit periculum nautas, ne ignotis littoribus applicarent, actóque retrò nauigio, & anchorâ deiectâ, ſignum dedêre, exploſo æneo tormento; ſimulq; lembum, accerſendo perito ductori, ſubmiſerunt. Is die inſequenti, qui Virgini ab Angelo ſalutatæ erat ſacer, tutò nos in portum duxit. Est hæc inſula, prima Orientalium maiorũ, cognomento*

Boriquena, longa 54. leucas, lata 24. intra gradus nouem & decem. A Septemtrione medium quemdam habet maris sinum, qui amplectitur exilem insulam, in quâ vrbs S. Ioannis à Portoricco; portu, castellis & præsidio munita. Hîc Sacrorum Antistes, Gubernator, Nobiles mercatorésque multi locupletes degunt. Oppidum non magnum, domúsque è ligno fabricatæ. Aliæ præterea terræ vrbésque circuitu insulæ continentur. Solum, Brasiliæ simillimum, frugum arborúmque genere. Montes auriferaces sunt: quibus excauandis quia multa extinguuntur Aethiopum mancipia, (quorum magnum est pretium) sacchari & ginziberis mercatu magno cum Belgis Germanisque lucro exercent. Quàm citò in oppido fuit intellectum, aduenisse Societatis Patres; qui nos amabant, (in quibus Episcopus, & Iudex quidam, à Rege graues ob res missus) commodum nobis in Nosocomio locum, ab ægris diuersum, obtulêre. Cùm autem ob eleëmosynarum tenuitatem nos victus deficeret, Antistes duos domi suæ, alios item duos Iudex alendos accepêre: duobus reliquis, qui domi erant, aliorum liberalitas subuenit. quæ cùm ambigua esset, subinde fallebat, sic vt aquâ etiam per calores illos destituerentur; cuius (præterquam pluuiæ, eiúsque modicæ) copiam nullam insula subministrabat, quæ leucæ tamen itinere erat aduehenda. Commodùm iuuandis oppidanis huc veni-

venimus sub tempus sacratioris Hebdomadæ: neque labor defuit, qui dies noctésque nos detineret, cùm frequens adeò pœnitentuim esset concursus. Videmur certè singulari DEI prouidentiâ in eum locum delati, ad multorum salutem procurandam, qui per incuriam ignorantiamq́, sceleribus obruti, in tartarum præcipitabant. Multum huic rei promouendæ, res duæ attulêre præsidij: Episcopi facilitas inprimis, in communicandâ potestate soluendorum criminum sibi retentorum; nostráque, à muneribus in laborum compensationem accipiendis, abstinentia; quæ mirè cùm eos affecit, tum opinionem Ordini nostro conciliauit: ac si conciones habere potuissemus, affectui respõdisset fortè fructus. Sed iam alius pulpitum occupauerat: quo digresso, Superior noster aliquoties Lusitanâ linguâ dixit. Ego Paschatis festo doctrinæ Christianæ explicationẽ in Aede summâ aggressus sum; in plateis Castellanâ uti cœpi, cùm Lusitanicam non intelligerent. Accurrêre non pueri modò, sed Nobiles etiam militesq́; præcipuè, ex quo nouus Gubernator Ordinis nostri amans, & ipse præsens interfuit, & adesse, quos secum ex Hispaniâ adduxerat milites, iussit. Hos posteà ægros cum aliis multis variolorum morbo correptis, audire confitentes necessarium fuit. Magnus eorum interijt numerus, non absque periculo nostri, cùm nauseam contagionemq́ morbi adferrent.

CAPVT VII.

Missio in insulam Portoricco.

OPPIDANORVM *confessionibus auditis, visum, donec naues instaurarentur, insulam quoque peruagari, cùm intelligerentur multi, non habuisse copiam sese expiandi Paschalibus ferijs, per inualetudinem suorum Curionum. P. Superior in Brebe mansit expediendis rebus ad nauigationem necessarijs; simul vt Antistiti cinibúsque per occasionem seruiret. P. Alexander Ferrati, Socio vno comitante, officinas obijt in quibus conficitur saccharum, vicináque vrbi tuguria partem maximam Aethiopibus habitata, hominibus ignarissimis rerum diuinarum; quibus indefesso labore patientiáque cùm summa Fidei capita explicassent, detractáque per crebras adhortationes inueteratâ peccandi libidine, fructum operi parem retulerunt. Hi, quia diem herilibus obsequijs solidum impendere cogebãtur, diminutâ somni matutini vespertiníque parte, confertis ad confitendum gregibus accurrebant. Ego cum P. Hieronymo de Angelis circuitum insulæ obeundo, vrbes omnes bimestri concursaui. Egregia sese obtulit tolerantiæ materia; cùm & viæ asperrimæ essent, admodúmque incertæ. Regio est montuosa, tam multis latísque interpolata fluminibus, vt credi*

vix

vix posit. Ad quinquaginta numerata sunt, supra riuos, qui crebris aucti imbribus, vado, vt ceteri fluuij (sed cum periculo) transmittuntur, viásque frequenter interrumpunt. Vnum idémque flumen magnum iuxtà ac præceps, vndecies die vno traiecimus, eóque ego ferè haustus interij: equus quippe torrentis impetu abreptus concidit, atque nisi post breuem deuectionem, ingenti cõprehenso saxo, me fulcissem, haud dubiè perissem: hoc verò genus pericula non pauca interuenêre. Aliàs die sæpè toto transitus exspectandus erat, dum aquæ detexissent vias: tum verò per noctem humenti incubandum solo, dum cæli serenitas rediret, manendum sub tecto ex palmis tumultuariè constipatis, postquam diurnis pluuijs benè permaduissemus. Cibum præbebant platanorum fructus, (ficus hi sunt Goæ longi, Bananæ apud Brasilos appellantur) qui & acerbi sunt, & flammis tosti vicem explent panis: potio lactis erat. In vrbibus tamen carnes, & aquarum suppetebat facultas, ac panis facti è farinâ radicum, quibus insulani viuunt. Primò, in quem venimus, pago nomen Cramo est, qui trans montes adiacet mari Australi, vbere iucundáque in planicie. Dissident inuicem domus vnâ alteráve leucis, Aedémq; sacram cingunt, factæ ex arundine omnes, aut palmis & paleâ. Quamprimùm percrebuit rumor aduenisse duos nouæ Religionis homines, quales num-

quam antehac viderant, qui Parochi ægrotantis loco vacarent, eorum noxis audiendis; conuenêre omnes, multíque itinere quatuor quinquéve leucarum. Per occasionem festi Pentecostes, omnes vnà cum Aethiopibus suis ad expianda venêre scelera, cælestéque Eucharistiæ epulum eis præbitum est Dominicâ insequente. Tanta his fames erat diuini verbi, quo dudum non fuerant refecti, vt denis continenter diebus, quibus isthic remansêre, Sacro concionique quotidie interfuerint, liberis mancipijsq; in ædem nostram, ad audiendam Catechismi explicationem, missis. Fructus, DEI gratiâ, par operi fuit. Omnes namque de sanctissimæ Trinitatis mysterijs, alijsq; scitu necessarijs rebus fuêre instructi: præcipuè verò, confitendi, doloríque cum emendationis proposito concipiendi ratio fuit explicata; quarum rerum ijs locis magna erat ignoratio. Hîc multorum voluntariæ accusationes de vniuersæ vitæ criminibus apud Sacerdotem factæ sunt. Concionibus verò, quæ de quatuor Nouissimis habitæ, salubrem DEI iniecêre timorem. Plurimi ad corrigendos mores, salutémque propriam curandam, fuêre persuasi. Cuius rei sæpiùs manifesta indicia, quà lacrymarum profusione, quà rapinarum redhibitione, inimicorúmque reconciliatione, ac scelerum consuetorum fugâ prodidêre. Equidem adnixus sum sacrarum rerum eis magnam imprimere religionem;

nem, vt quisq; nimirum lustralẽ haberet aquam; vt sacris quæ distribuebam numismatis, debitas sceleribus pœnas redimerent; vti superstitiosa characterum amuleta, suspensis è collo cereis Agni bullis, commutarent. Existimabant namque per errorem multi, inditam characteribus illis à Pontifice esse vim quamdam variolis depellendis; quâ fraude per omnem vulgatâ insulam à me sunt exempti. Persuasi deinde vt templum superimposito tecto clauderẽt, calices reliquámque Sacrorum supellectilem emerent, eúmque morem annis sequentibus tenerent; ad Aedis cetera nudæ ornatum instruendum. Infantulum denique, quæ primitiæ meæ fuêre, aquis Baptismi piacularibus tinxi. Inde multorum lacrymis planctúque deplorati abiuimus, ijsdemq; in oppido Bucanas officijs defuncti, in amplam deuenimus Regionem, cui nomen Nouæ Salamancæ. Ad concionandum aggressus sum festo sanctissimæ Trinitatis, eáque occasione multa de Pœnitentiæ Sacramento dixi. Conuenêre vicini, famâ acciti; eorúmque non pauci sacræ Eucharistiæ festo, Angelici panis epulo sunt refecti. Deinceps quotidie, aduocatâ concione, cuncti accurrêre ad audiendum, vt aiebat vulgus, præconem quem DEVS in suam misisset conuersionem. Sextis quibusque Ferijs, cùm de peccati grauitate ac turpitudine disserem, multorum consecutus est dolor ad scelera detestanda. Sab-

bato

bato Dominicísque erat sermo de peccatorum remedijs, de vitæ emendandæ proposito, ritéque faciendâ exomologesi. Aliàs de ijs quæ hominem manent in extremis. In quo instituto tam nouam expertus sum diuinitus mihi adhiberi vim, dicendíque impetum; vt ipse admirarer copiam vtilißimorum argumentorum, quæ cum insolito audientium motu mihi subministrabantur inopinanti. Adeò successit è sententia fructus, vt publicè celebrarent, eam nauem non tam fortuito appulsu, quàm certo salutis suæ bono, fuisse illuc diuinitus directam. Quin imò fatebantur, persentiscere se insolitum quemdam ardorem ad benè Christianéque viuendum. Feminæ à strepitu auocatæ, vestimenta componebant honestiùs ad castitatem. Viri se accuratiùs dabant cultui Religionis, planè vt internæ mutationis facies, foris etiam eluceret. Neque hoc contenti, singulis præterea noctibus plateas obeundo, corpora nonnulli flagellis cruentabant, quod benè longo temporis spatio fuit vsurpatum. Festo S. Barnabæ de nocte Supplicatio ad lumina instituta, pro exorandâ culparum veniâ, obtinendáque constantiâ in benè cæptis. Omnes ferè nudis incessêre pedibus, multíque ad sanguinem se verberauêre, pueris per interualla misericordiam DEI lugubriter inclamantibus. Mulieres aliquot, ne agnoscerentur, velatæ, iter genibus perrepebant; aliæ lamentis planctibúsque dolorem

rem testabantur; spectaculum denique huiusmodi fuit, quod vel saxa ad miserandum commouisset. Cùm in Aedem sumus reuersi, abstinere me non potui, quin oratione ad Crucifixum versâ, Christum compellarem. Id quod eo successit animi mei sensu, vt lacrymis non potuerim temperare. Tum abruptim peccata sua omnes cum fletu primùm detestari; verberibus deinde in se sæuire, vt nullus supereſſet, qui non statueret in posterum offensâ Numinis abstinere. Supplicatione peractâ, noui, qui flagellis se acciperent, in templum succeſsêre; fuerúntque qui, cùm totam orando peruigilassent noctem, manè ad Sacerdotis genua accidêre, ad se denuò expiandum. A prandio Catecheticas quæstiones expediebat Sodalis meus P. Hieronymus, ad quẽ pueri omnes cum Aethiopibus, multíque honoratiores conueniebant. Valebat is singulari in docendo gratiâ, vt neque facilè patientia eius, hebetudine ignorantium irritaretur, neque tædio afficerentur audientes. Illud verò est assecutus, vt breui summâ doctrinæ Christianæ capita vniuersi tenerent. Erat certè quòd DEO gratularemur, cùm videremus passim pueros Aethiopésque è templo in circulos denuò conuenire, inuicémque aut de propositis à Patre quæstionibus interrogare, aut repetere commendata. Magno mihi solatio fuêre, qui extremo mense ad Pœnitentiæ Sacra reuersi, iam nihil veterum adferebant

bant offensarum. Asseuerabant, si vel semel quotannis vnus aliquis ad eos rediisset, repetitum ea quæ iam audierant, id fore certissimum præsidium abstrahendi eos à consuetudine peccandi. Trigesimo die inter communes omnium lacrymas discessimus, habitóque itinere per exiguum oppidum, quod vocant Arécibo, cùm eosdem illis labores, æquali fructu animorumq; motu, impendissemus, ad vndecimum Iulij manipulis Christianæ messis onusti, diuinâ ope redymus in Portoricco. Exeunte mense duplex me tertiana, laboribus incommodísque fessum inuasit: sed breuî abijt, naturæ magis beneficio, quàm medicinarum, quæ paucæ reperiebantur, vt neque res ipsæ ferè necessariæ. Consultatum inter nos, quid facto esset opus. Pluriúmque ac Superioris etiam sententiâ decretum, ne Indicæ naui, quâ veneramus, nos committeremus, quòd rimas adhuc ageret, grauioríque periculi metus appareret, si tempestas aliqua accidisset. Conscendimus ergo partitò, bini vnam, bini alteram, quæ simul erant vela futuræ. P. Gaspar Alphonsus Superior, eiúsque comes, nacti sunt probè armatam, P. Hieronymus & ego exiguâ, eâque inermi vecti sumus; in quâ duo quidem è ferro erant tormenta, sed parua admodum, neque classiarij aderant, aut quisquam qui eorum tractandorum sciret artem. Noua tamen erat, aptéque ad velificandi celeritatem facta. Annonam

nonam noſtram vniuerſam ſtipe collegimus, neque ſanè patiebatur modeſtia, res quaſdam recuſari.

CAPVT VIII.

Ab hæreticis captus, in Angliam abuehitur.

VIGESIMA *primâ die Auguſti è Portoricco ſoluimus, ſeptenûm nauium comitatu cincti. Ego æger à tertianâ duplici, conſcendi, quòd nauigationem valetudini conducere exiſtimarent. Eodémque tempore comes meus morbo tentari cœpit, vt neuter alteri opem ferre poſſet. Poſt biduum ſæua coorta tempeſtas eſt, imbribus permixta, quæ tres alios tenuit dies. Hæc naues egregiè vexauit quidem, me tamen febris in tantâ iactatione deſerüit; ſed redÿt intra dies quinque ſimplex tertiana, quâ in ſextum vſque Octobris conflictatus, nullum deſerüi officium in iuuandis nautis. Claſſem noſtram tempeſtas partita eſt, coniunximúſque nos onerariæ Belgicæ, quæ cùm aquam rimis acciperet, veherétque Caſtellanos & Luſitanos nobis amicos, nauis noſtræ ſocietatem expetierat; vt ſi quid nauigio ſuo fortè euenìſſet aduerſi, ad noſtrum ſe reciperent. Ea res iter noſtrum vehementer retardauit, cùm lentè nauis illa ferretur, ſubindeque nos eam opperiendo, decem leucarum iactu-*

ram

ram die vno faceremus. Cùm ergo opinione longiùs ea nauigatio extraheretur, aqua, carnes, ceteráque nos annona defecit: aquam tamen nacti sumus; carnium verò loco pisces nobis Diuina munificentia subministrauit, quorum indies ingens numerus nullo negotio capiebatur. Decimaseptimâ Octobris Terzeras insulas praeteruecti, cùm aspiceremus è regione insulæ S. Mariæ, quæ postrema est petentibus Lusitaniam, primâ oriente luce Anglicanam nauim vidimus, trium leucarum interuallo sequentem; si velis omnibus fugere voluissemus, assequi quidem difficilè nos potuisset; immò præda nauigij, quod iter nostrum impediebat, illius quoque celeritatem retardasset. Sed recusabant tres nauis nostræ Rectores, qui triplici sententiâ dissentiebant. Aduentus ergo Anglicanæ exspectatus est, nostrorúmque incauta fiducia, eius se tutelæ commisit. Adnauigat Anglus, non ita magno atque armato nauigio; & militum tormentorúmque numero licet inferior, nostros tamen animis excedens, primus pugnam lacessit. Socia nauis ne laxaret rimas, quibus affatim humoris admittebat; raris tormentorum ictibus se tuebatur, cùm peritis iaculatoribus careret, magnæq; existerent maris vndæ, incerto iactu pilæ omnes differebantur. Duarum horarum prælium fuerat, cùm duo maiora sociæ nauis vela Anglus diffregit, illáque iam ægrè se tueri poterat,

terat, aut hosti, cùm ad nos oppugnandos contenderet, obuertere sese. Quâ re animaduersâ, Nauarchi nostri tum demum mandare se fugæ constituunt, cùm euadendi non esset locus. Anglus namque maioris nauis oppugnatione desertâ (quam ob nitrÿ pulueris inopiam, quâ premebatur, expugnare se posse diffidebat) à tergo in nostram incurrit, quam scilicet intelligebat diu resistere non posse. Breuî eâ potitus est, militibus duodenis insilientibus, qui captam occuparunt. Maiorem deinde nocte totâ subsecutus, cùm nusquam deprehenderet, nauigÿ nostri prædâ contentus, proposito abstinuit. Milites qui primi nos inuaserant, rapuêre quidquid inclusum promptioribus sarcinis repererunt. Atque eorum vnus cellulam meam ingressus, impositò faucibus meis pugione, pecuniam, si quam haberem, postulauit: abstulitq; quadringentos illos Philippeos, quos Pontifex Maximus, Iaponÿs eleëmosynæ nomine tribuendos, numerauerat P. Aegidio de la Motta. Direptum ab ÿs prætereà quidquid clausum habebamus in arculis, quas auidissimè excutiebant, tollendo libros, chartas scriptas, Reliquias, sphærulas precarias, Agni cerei bullas, aliásque quas habebamus sacras res, nullâ, præter vestes quibus tecti eramus, relictâ. Sortitò suam quisque prædæ partem nacti sunt, vniuersámque inclusêre in vnum locum, dum reliquam nauem expilarent, essentque securi.

Sequentis diei exordio Præfectus Classiariorum metuens alicuius fortè seditionis, nos lembo exiguo impositos deportari in suam iussit; & tantillâ scaphâ per immanes illos tumultuantis Oceani fluctus longissimo spatio nauigandum fuit, cùm quolibet commotæ tempestatis fluctu crederemus nos hauriendos. Appulsi, vt eramus vestitu nostro, ad nauem, magnâ humanitate à Præfecto duobúsque Nobilibus, qui Latinè nos alloquebantur, accepti sumus. His interpretibus interrogati, quâ patriâ, quod genus hominum essemus? ego, non ignarus quanto in hæreticorum odio Societas esset, tam insigni exercendæ patientiæ occasione lætus, professus apertè sum, Religiosos nos esse Societatis, & quidem genere Italos. Contrà quàm sperabam res vertit, eóque nos illi venerari amplius, meliúsque habere; planè vt stuperem. Vicino sibi loco ad puppim Præfectus collocauit, suísq; non rarò manibus cibum attulit. Facultatem præterea dedit commeandi ad nauim nostram, vt Lusitani cuiusdam morientis peccata audirem, qui valetudine impeditus nobiscum traÿcere in prætoriam nequiuerat. Adhæc aliàs copiam fecit redhibendi chartas meas scriptas, imperio dato, vt omnia mea redderentur: iuuitq; ipse, vt Christi Crucifixi religiosum quoddam sigillum mihi restitueretur, cum Agni cerei plagulâ & Reliquÿs: res alias alicuius pretÿ, etiamsi sacras, recuperare

non

non potui, licet penes Præfectum magnâ parte essent. Non aliò hæc diligentia spectabat, quàm vt earum rerum iacturam sentiremus, quarum nos initio damnum non pupugerat. Nam recepit vnus eorum Nobilium (qui hucusque nos magnâ humanitatis significatione habuerat, cuique res nonnullas dederamus, factâ nobis reddendi sponsione, in gratiam matris suæ Catholicæ, cùm in Angliam fuissemus reuersi) se seruaturum in arcâ omnia, redditurúmque iuratâ fide: sed is redux scilicet, tam nobis quàm DEO fidus fuit: sibiq; & impressos libros & rem omnem sacram vendicauit. Nauigio Præfectus, intellecto prædam æstimari vigintiquatuor Philippeorũ millibus, iam nulli alteri nauali prædæ inhiabat, veritus ne in bellicas fortè Hispani Regis incideret; domúmque secum omnes, etsi magno impendio, abuehere decreuit. In ipso faucium aditu semel iterúmque magnâ fuimus tempestate iactati, eaq; re retardati in cursu; vnde corrupto cibario pane, acidâque cereuisiâ vitam tolerauimus. Denique 5. Nouembris Arthmudum, festâ totius vrbis lætitiâ, Præfectiq; gratulatione, appellimur. Is prædâ in tuto positâ, gestiebat, cui adeò scilicet timuerat, ad veli cuiuscũq; seu hostilis seu sui conspectũ, cùm vtroq; æqualiter vereretur. Toto eo die multis spectaculum præbuimus, qui aut visendæ nauis, aut salutandi Ducis studio adueniebant. Sequenti die

cùm venti posuissent, in patriam Atapson, distantem sex leucarum itinere, discedunt, attinguntq; sub Occasum. Præfectus, singulos à se diuersos diuersis hospitijs distinxit, diurno duorũ regaliũ pretio in capita singulorũ numerato, vt nihil nos deficeret. Vtriq; nostrûm conclaue separatũ attribuit, in quo & cibum sumere, & Religionis sacra obire munera, nullo conscio, possemus: ceteris certè omnibus liberaliùs nos accepit. Magni è vicinis oppidis conuentus Nobilium, mercatorũ, ad Præfectum facti sunt: illis aduolantibus ad gratulandum viro insigniter nobili tam opimâ prædâ, alijs ad emendas celerrimè merces festinantibus. Cùm de nobis esset intellectum, ad nos quoq; visendos solandosq; in aduerso casu accurrêre; præcipuè qui Latinam, Hispanam Italicámve callebant, aut in Italiam nauigarant. Audito nos esse Italos, singulari lætitiæ significatione dicebant, vel hoc nomine quàm humanissimè tractandos esse, quòd solerent Itali in exteros omnes vicissim esse prolixi. Nonnulli deinde, propositis de Religione quæstionibus, beneuolè disputabant; nec pauci eâ ratione fuêre dedocti, quæ, Præconum suorum adducti mendacijs, de Religione nostrâ sinistrè existimarant, circa Imaginum venerationem, improborũ cum DEO reconciliationem, Sanctorumq; cultũ. Nec defuêre qui Catholicos se esse professi, stipem nobis largiebantur. Alij in suis nos domibus inuitabant.

tabant. Erant & è primâ Nobilitate feminæ Catholicæ, quæ alloqui nos desiderabant; quarum extra vrbes (vt solæ degant) domicilia visuntur, quásq; vel ipsi hæretici, ob effusam quâ egentibus subueniunt charitatem, obseruant atque amant. Complures optabant quidem paria facere, sed veriti ne innotescerent, dissimulabant; in quibus fuere multi Dignitate Nobilitatéque illustres. Nos aut Londinum eundi, aut alterius alicuius portus quærendi facultatem, Præfectum orabamus, vt Vlissiponem repetere liceret. Frustrà adhibitæ fuêre preces, cùm suspicaretur res meas me vindicare velle; vel in Anglià ad firmandos Catholicorum animos, vulgandámque Religionem nostram mansuros vereretur: quæ res si erupissent, ipse scilicet decretâ Senatus Consulti pœnâ admissum erat luiturus. Quare ne ad interiorem aliquam Angliæ ciuitatem excurreremus, studio cauit; quantumuis consanguineorum amicorúmque flagitationibus sollicitaretur, quibus inexorabilem penitus se præbuit; non ignarus, multos esse quà publicè quà priuatim Catholicos, qui bonâ pecuniæ summâ legem, quâ hæreticorum adire sacra alioqui cogerentur, redimunt, vsúmque habent exercendæ domi Religionis. Ego certè auidissimè cupiebam vel semel in Anglià Sacris operari: sed quantò nos id cupidiùs contende-

bamus, tantò ille siniſteriùs opinabatur; imperabatq; ne laxiùs milliari ab vrbe, in quâ eramus, vagaremur.

CAPVT IX.

Diſceſſus ex Angliâ, & appulſus ad Vliſſiponem.

IN hiſce rerum anguſtijs, libertatiſq; noſtræ ambiguitate, cum DEO deliberauimus quid potiſſimùm nobis eſſet ex illius gloriâ ſtatuendum; ac conſentientibus ſententijs cenſuimus, præferendam eſſe primam Miſſionem, ac primo quoque tempore Vliſſiponem repetendam; cùm neque gentis Anglicanæ linguam teneremus, neque ſpes affulgeret martyrij pro Chriſto obeundi, vtpote exteris, qui & facilè deprehendi poſſemus, neque noſtrâ voluntate eò veniſſemus. Quod conſilium ſi nos falleret, per Franciam terreſtri itinere Vliſſiponem contenderemus, poſtpoſitis occaſionibus omnibus reuiſendæ Italiæ, quam adire, non eſſe è re noſtrâ ducebamus. Quia verò per loca hæreticis infeſta, & hiberno tempore pedibus erat proficiſcendum, veſtes longiores, quâ potuimus arte noſtrâ, in Anglorum Gallorúmve morem reſectas commutauimus, ſic aduerſus frigora tecti; calceis inſuper, tibialibus, femoralibus, & Anglicano pileo à Præfecto donati fuimus. At mox Præfectus, veri-

veritus ne eo vestitûs genere occulti per Angliam fortè vagaremur, domi nos suæ per dies aliquot tenuit inclusos; exploratóque semel per noctem, an litteras aliquas Catholicorum, magicásve res haberemus, quo nomine præcipuè Sacerdotes nostros habent suspectos; cùm nihil huiusmodi rerum deprehendisset, liberos nos denique manu misit. Nonis Decembribus vnam omnes nauim imperio Præfecti conscendimus. Sequenti die ventus è prospero in aduersum, cum immoderatâ tempestate, versus est. Angli contrà nixi, postquam insulam quinisdenis distantem leucis diu conati sunt attingere, reiecti tamen fuêre, vtcumque iam vicini; ac nos intereà, qui eorum beneficio singularem habebamus locum, perpetuis aquis madefacti, cùm fluctus quilibet nauem operiret, frigore propè enecti, ingentiq; nauseâ vexati, mortem in momenta exspectabamus. Affirmare reuerà possum, plus molestiarum nos illius bidui spatio, quàm præteritâ multorum mensium nauigatione, percepisse. Sed eò liquidiores fuêre cælestes, quibus patientia nostra recreabatur, voluptates: atque ego sanè valetudine meliore, quàm per longum anteà tempus, vsus sum. Nautæ denique tempestate fessi, cùm non remitteret, vento se dedêre, intenti in primum quem tenerent portum; sicq; in Angliam relati, portum alium non ignobilem nacti sumus. Hîc sensimus vtile nobis

fuisse mutati vestitus consilium, ad abitum denuò tentandum: nam si cogniti fuissemus, haud facilis nobis patuisset exitus, ob nouas Reginæ leges, quibus clausi fines omnes tenebantur. Magno ad euadendum auxilio fuêre, duo quos in vrbe offendimus Itali, Genuensis alter, qui Londino discesserat negotiorum causâ, alter Ragusseus; ambo nauium Præfecti: his enim cùm me aperuissem, re priùs cum DEO & comite pertractatâ, stipe ab ijs, etsi tenui, adiutus, plus aliquantò ad festinandam nauigationem beneficij accepi: nam suis nos nauigijs, nisi recusassem, Liburnum etiam reuexissent. Id quod à me recusatum est; quia verebar scilicet, Paternitatem vestram profectioni nostræ adeò expetitæ fuisse intercessuram. Hanc ob rem, Vlißiponem festinabamus, vt in Indiam soluere huius anni tempestate liceret. Et iam hominem nacti eramus, qui in S. Ioannis de Luthz, propinquum Cantabriæ oppidum, nos deportaret, cùm melior diuinitus oblata occasio mercatoris Germani, cuius studium erat, captiuos Anglos Lusitanis, inuicemq; Lusitanos Anglis permutatos, vltrò citrò vehere, Regum vtrorumque auctoritate. Eius ergo opportunitatis securi, duximus exspectandum potiùs in paucos dies, vt rectum teneremus cursum, quàm cum alijs, qui celeriùs in longinquiores terras soluebant, nauigare: sed aduersæ tempestates, aliaq; incommoda, iter nostrum

ſtrum in decimum ſequentis anni diem diſtulerunt. Non leuiter ea mora nos afflixit per Natalis Dominici Feſtos, ſine Sacris inter hæreticos acta. Quamquam illius neceſsitatis duritiem largiter recreauit ille, qui nullius Sacramenti affixus cærimonijs, conſolationum aduerſarúmque rerum vberem nobis materiam ſuggeſsit. Ingentis quippe inſtar miraculi fuiſſet, liberum ex Angliâ euadere, neque ſaltem in cuſtodiam rapi. Nos pro Italis, non item pro Religioſis habiti, ſecurè vtebamur hoſpitio mulieris, cui mercator Germanus ſoluebat à nobis; illâ vtique ſpe, vt eum iuuaremus in mariti illius procurandâ libertate, cuius illa loco domi ſuæ Signiferum Hiſpanum obſidem habebat, qui permutationis ſecum faciundæ causâ, litteras ſcripſerat ad amicos. Angli adminiſtri, qui eas litteras penes nos eſſe ſciebant, ſuſpicati, alias prætereà in Luſitaniam à nobis eſſe perferendas, nocte irruunt in ædes; nos rebus noſtris ſpoliant, diligentiſsiméque perſcrutantur: at quod quærebant, non deprehenderunt. Eâ ipsâ nocte in carcerẽ abduxêre Socium meum P. Hieronymum de Angelis, opinati Hiſpanum eſſe, quòd nempe, loquenti mecum, Italica verba quædam excidiſſent; ſed non amplius nocte detentus eſt. Per dies aliquot libero domûs exitu nobis fuit interdictum, ampliùs etiam vocati ſumus in examen: quo peracto, conſcendendi

nobis copia facta est, illuxítque tandem ille optatissimus nauigationis dies. Etiamsi verò exiguum fuerit nauigium, ac vetustum, parúmque à necessarijs rebus pro tanto vectorum numero instructum; DEI *tamen benignitas & ventum & mare adeò è sententiâ propitium nobis reddidit, vt salui atque incolumes Vlissiponem octidui spatio attigerimus. In quâ vrbe, alacriores multò quàm anteà, iter summo cum desiderio millies tentare prompti, grauiora opperimur incommoda, quàm in hunc diem sumus passi; & mihi quidem, vt veterano, faciliora iam omnia ex difficillimis redacta videbantur, nullóque periculo dura. Equidem confido (quando humana me omnia defectura sint) alas mihi à* DEO *præsidiarias adhibitum iri, quibus in illius obsequium aduolem, à quo sentio tot retrò annis tam singulari me vocatione inuitari. Atque vt tanto tam illustri opere indignum me censeam, penitúsque erubescam, cùm inter tot illustres operas meipsum circumspicio, spero tamen, quantumuis frigidus rigidúsque sim, tot ignium circumiectu me quoque accensum iri. Quæcumque autem Dominus per me efficere dignabitur, sic in gloriam eius redundabunt, vt argumenta quædam potentiæ illius.*

Huc vsque litteræ, quas Præposito Generali scripsit; quarum verba quisquis expenderit, intelliget, concludi ea potuisse epilogo eorum

rum laborum, quos Paulus, de se ipso loquēs, secundâ ad Corinthios Epistolâ, ita summatim numerauit: *In itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore & ærumnâ, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate, in mortibus frequenter*: videtur namque DEVS tam diuturnis annorum duorum experimentis periclitari voluisse hunc seruum suum, tamquam tirocinio quodam (vt ipse litteris suis appellat) Iaponis, illiusque gratiæ, quâ DEVS, postquam eum se dignum reperit, eius animum erat cumulaturus.

CAPVT X.

Noua in Indiam nauigatio, & in Iaponem aduentus.

QVAM citò exscenderat, in Professorum se domum, quæ Vlissipone est, contulit; in quâ, cùm primùm peteret Indias, exiguo tempore manserat. Iam verò intonso capillo, barbaque promissâ, & alieno ac vili vestitu, nautæ quàm Religioso similior, adeò sui redibat dissimilis, vt initiò nō agnosceretur. Cognitum quis esset, eo maiore gaudio charitateque complexi sunt, quò diutiùs nihil de eo vel rumoris acceperant. Ipse animo gestiens, cùm inter Patres illos eâ se vestis humilitate obso-

obsoletum aspiceret, temperare non potuit, quin diceret, se numquam aliàs tam splendidè fuisse vestitum, atque cùm laceris illis centunculis inuolueretur. Insignibus nimirum Christianæ paupertatis, veriq́ue illius desiderij, quo Religionem propagare ardentissimè cupiebat. Et quoniam, vti iam suprà auditum est, omni adeundæ Italiæ commoditate contemptâ, iter Vlissiponem intenderat, vt eo ipso anno ad 18. Aprilis, post primum suum abitum, repeteret Indiam; vix à viâ recreatus, desideriũ suum Moderatoribus quantocyùs indicauit. Quibus, cùm nihil statuendum priùs videretur, quàm de re totâ ad Præpositum Generalem per litteras retulissent, in Lusitaniâ eo anno remanere coactus est; quando litteræ ex Vrbe ante statum nauigationi tempus perferri non poterant. Sensit ille grauiter, non solùm iniectas desiderio suo moras, sed metum etiam maiorem quo angebatur, ne fortè in dubium profectio sua vocaretur. Neque procul sanè periculo abfuit: namque consanguinei, quàm citò rediisse eum Vlissiponem audiuêre, operam dederunt, vt in Europâ retineretur, scriptis ad Claudium Aquauiuam litteris, quibus id beneficij concedi sibi flagitabant: vnâ nimirũ periclitatione iam abundè factum esse desiderio Caroli. Perstitit tamen in sententiâ Claudius, vel nouis Caroli preci-

precibus firmatus, quibus haud obscurè DEVS indicabat, velle se Carolum in Iaponem proficiscì. Hoc anno versatus in Collegio S. Antonij, quatuor vota nuncupauit. Cùm verò quadraginta contubernales de quinquagenis morbo tentarentur, egregiam benè merendi de ægris domesticis opportunitatem est nactus; præter curam quæ externis quoque erat adhibenda. Etenim cùm id temporis, vrbis vniuersæ status morbis labefactaretur, initiò in horas diei noctisque ferè singulas, Sacerdotes nostri ad audienda moribundorum peccata vocabantur. Mox cùm pestis ingentia caperet incrementa, ad hunc modum Collegij nostri domestici (vt omnibus opem ferrent) laborem sunt partiti. Alij perpetuò oppidum concursabãt, vt languentium animos corporaque recrearent. Alij aperto Domûs vtriusque templo, quà Sacris faciendis, quà administrandis Pœnitentiæ Eucharistiæque mysterijs, præstò accurrentibus erant. His laboribus annus octauus & nonagesimus, sequentisque initium exacta sunt. Tum Magistratus, qui Indicarum rerum administrationi præest, naues solitas in propinquæ nauigationis tempus expeditas esse iussit; eò seuerius, quòd eæ, quæ præcedenti anno soluerant, visâ ingenti Hollandorum classe, cum quâ sibi dimicandum intelligebant, retrò

trò in portum, deterriti, redijſſent, neque porrò nauigaſſent. Hæ igitur naues, quæ anno toto in portu reſtiterãt, vt imperio pareretur, celeriter reſarcitæ ſunt, additæque præſidio ſeptenæ prætereà bellicæ, quæ reliquas tuerentur aduerſus quaſcumque hoſtiles. Sed cùm pertinax vrbem peſtilentia laceraret, Sacerdotes periculo exanimati, nautas comitari recuſabant, quòd claſſem quoque, in quam tanta ſe multitudo ex infecto oppido conieciſſet, facilè corripi poſſe contagione intelligerent: quod ſi eueniſſet, nullam ſupereſſe ſaluti ſpem prouidebant. Ea neceſſitas Magiſtratum impulit, vt à Societate præſidium peterent, à quâ Sacerdotum ſibi copiam datum iri ſperabant, qui nauigationis comites, vectoribus adeſſent, ægroſq; ac moribundos orationibus & Sacramẽtorum ſubminiſtratione, pro re periculoque ſolarentur. Nec fefellit eos ſpes: viceni quippe è Societate Preſbyteri, varijs nauigijs diſtributi, nauigantibus auxilio dati ſunt. Hos inter Carolus fuit; qui, ne tam præclaram de DEO merendi occaſionem amitteret, vnà cum P. Hieronymo de Angelis, Socio ſibi alterâ nauigatione noto, ſub extremũ Martij, anno 1599. iterùm ingreſſus eſt iter, præfectuſque cum imperio ijs, qui eadem ſecum naue vehebantur. Hac alterâ profectione, memor, ſuæ ſuorum-

rumque sollicitudini vectores commendatos esse (qui magno solent numero conscendere, ob magnitudinem Indicarum, quæ, castellorum instar, Oceanum premunt) maiore etiam studio, impensa superiori cursui officia repetere cœpit; eò certè constantiùs, quòd mari iam assuetus esset, inuicti instar veterani, ad docenda sacræ doctrinæ capita, ad canendos Psalmos, ad sedandas rixas, ad solandos iuuandosque ægros, ad cælestia serenda colloquia, ad audiendas pœnitentium noxas, aliaque id genus exercitia obeunda, indefessè incubuit. Et ne gemina narratis semel laboribus adferam, sufficerit generatim commemorasse; quâ ratione nauigationem hanc adornarit, quantisque, dum sanus atque æger esset, curis sanos ægrosque perpetuò informarit. Hac laborum continuâ quadam successione Goam tandem attigit; vbi menses aliquot hærere coactus, dum appeteret idonea in Iaponem nauigandi tempestas. Neque hîc defuit noua exercendæ patientiæ materia: Febre quippe continuâ conflictatus, bimestri adeò exhaustus est, vt in phthisim propè cõijceretur. Eâ erat valetudine Carolus, cùm adesset iam soluendi tempus. Ille tamen cupidus moriendi in Iapone, egregiâ scilicet in Deum fiduciâ erectus, etiam tum febre continuâ vexatus, conscendit. Ac, quantumuis multa

multa passus, post quinque & sexaginta dierum nauigationem (quâ Malacam postridie Calendas Iulias anno 1600. est appulsus) cùm aqua potabilis etiam defeciſſet, DEI tamen benignitate, quæ insignem viri constantiam coronare visa est, sanitati est restitutus. Insolitâ charitate Malacenses hospitem amplexi sunt, lætissimosque ei nuntios attulêre Patres, qui narrabant varias in Iaponiâ sedes eo anno à nostris occupatas; tantos verò sperari magnæ illius vineæ fructus, vt paucitas operarum, impar culturæ futura videretur; adeoq; iam messis imminentis felicitate victos, opem implorare Sociorum, *vt venirent & adiuuarent eos.* His ergo nouis, ad inceptos conatus maioribus animis præstandos inflammatus, post octidui quietem, conscenso denuò nauigio, in Chinas instituit iter. Post quatuor nauigationis menses, Macaensem portum feliciter tenuit. Vrbs hæc, etsi Lusitanis mercatoribus habitata, Regi tamen Chinarum paret, ius pro eo dicente Magistratu quodam quem vocant Mandarinum. Habet Societas in hac vrbe Collegium, quod instar est Seminarij cuiusdam, in quo Chinensi Iaponensiq; Missionibus alumni parantur; qui post cõparatas necessariarum disciplinarũ scientias, iam instructi assuefactique, varias in partes, vt res fert, dimittuntur. Nauis, quæ Carolum ex

India

Indiâ vexerat, cùm isthic anno illo hiberna-
ret, eum quoq; retinuit: quo interuallo, Iapo-
nicæ Prouinciæ procurationem administrauit.
Negotium ei prætereà datum est (vtpotè Ma-
theseos perito) delineandæ Ædis nouæ, quæ
Assumptæ Virgini erat dedicanda. Et certè
cogebat necessitas id opus moliri, cùm incen-
dium non modò antiquam Ædem corrupis-
set, sed Collegij quoque ærarium tam graui
damno afflixerat, vt nihil præter templi mu-
ros reliqui feciſſet; qui adeò flagrantiâ ignium
hiabant, vt inutiles penitus essent. Eodem
tempore Lusitanis operam dabat, indefessus
eorum animis expiandis; neque, dum concio-
nes eorum linguâ habebat, ægrorum neces-
tatibus deerat in Nosocomio. Per vniuersas
Domos, quas in Orientalibus Indijs Societas
obtinet, iam inde à S. Xauerij temporibus
mos inueterauit, sextis quibusq; sub noctem
Ferijs per Quadragesimam, faciendi verba
de Passione Christi; manè autem, sextâ Feriâ
Hebdomadæ sanctioris. Hanc concionem
excipit Supplicatio, non solùm conuenien-
tium multitudine celebris, tabernarúmve ces-
satione solemnis, sed multò etiam spectabi-
lior, cùm ob copiam luminum, quæ ornan-
dis Mysteriorum insignibus accenduntur;
tum ob numerum eorum qui terga sua flagel-
lis lacerant, non sine largâ sanguinis profu-

sione. Eo exemplo, his in locis, magni perpetuò excitati sunt animorum motus; nec pauciores Christiani ad emendandos mores, quàm Ethnici ad Religionem amplectendam adducti; qui tam religioso spectaculo mansuefacti, sensim pertinaciam Christianis moribus submisêre. Quoniam autem difficilè accenditur oratio loquentis de Christi cruciatibus, cuius anteà animus non est amore crucis inflammatus; vt vberiores scilicet existerent anni illius fructus, Carolum legerunt, cuius ardor, patiendiq́ue desiderium, plus satis sese iam publicarant. Operæ respondisse pretium, indicant litteræ de rebus anni illius scriptæ atque excusæ. Anhelabat intereà ad discessus sui diem, quem tandem post menses aliquot instituit, eâdem illa naue quâ Macaum fuerat delatus: prosperaq́ue nauigatione vsus, confecit reliqua quæ supererant milliarium millia; tandemq́ue Nangasacensis vrbis portum inuectus est anno millesimo sexcentesimo secundo, incredibili animi sui gaudio; cùm secum nimirum reputaret, ad illum se terminum iam peruenisse, quem diu adeò quæsitum, neque sine difficultatibus occupatum, consecutus tandem erat, quatuor & viginti millium milliarium itinere superato.

CAPVT

CAPVT XI.

Euangelij disseminatio, eiusque in Iapone occupationes.

ANNOS viginti in Iapone egit egregius hic Pater; è quibus senos denos, Ethnicorum Christianorumque excolendis moribus dedit; principiò quidem publicè, clanculùm deinde; quaternos verò non omnino integros, inter incommoda maxima carceris Omurani duxit. Hîc compendio perstringam quàm arctissimè primorum decem annorum labores, quos Superiorum auctoritate suscepit, quod tempus, sæuissimæ cuiusdam persecutionis tempestas insecuta est, de quâ sequẽti Capite disseremus. Nangasacho (quò appulsus fuerat, vti suprà dictũ) breuî ad Arimense Collegiũ missus est, Iaponicę discendæ causâ; in cuius se studium omni diligentiâ contulit anni spatio. Haud procul Collegio aberat Seminarium recens, huc Nangasacho transportatum; in quo multi adolescentes Iapones alebantur, eleëmosynis partem ex Europâ in eam rem quæsitis, partem à Ioanne Arimæ Domino liberaliter collatis. Id eò fit, vt vnà cum litteris hauriant Christianæ pietatis scientiam: mox vbi geminis Religionis scientiarumq; disciplinis instituti sunt, maiore

deinde constantiâ atque ardore in ciuium suorum conuersionem incumbant. Hoc fine, non ita pridem constituta Sodalitas Virginis Annuntiatæ; eiusque administrandæ prouincia huic DEI seruo commissa est. Qui cùm probè intelligeret, quàm è diuinæ Maiestatis esset obsequio, adolescentiam illam ad virtutem informare, quæ posteà doctrinæ Euangelicæ propagationem maximè iuuat; eo anno, quo discendæ linguæ se dedit, simul omni est studio adnixus, vt rationem eis traderet augendæ sanctitatis. Vt verò is existeret fructus qui sperari de Sodalitijs solet, multâ vtebatur circumspectione; adeoque etiam adhibebat examen in alumnis Seminarij ad Sodalium cœtum aggregandis: eosque solos, quos feruentissimos deprehendisset, eo priuilegio ornabat; tum autem octiduo integro eos comparabat sacris exercitationibus meditationibusque, & criminum omnium totius vitæ expiatione. Non alia illi maior voluptas, quàm à prandio & cœnâ in sacrâ spiritualium suorum filiorum consortione versari; cum ijs de rebus optimis colloqui; artem eos docere meditandi res diuinas; exercere eos varijs mortificationum quos vocant actibus; virtutem denique eorum ardentibus adhortationum facibus inflammare. Non impar susceptæ sollicitudini fuit fructus feruoris cuiusdam

inso-

insoliti, Religionisque, quæ in teneris horúmce alumnorum animis efflorebant. Vnusque (cui Sodalitij impositа fuerat præfectura) eam virtutum perfectionem, ductu Caroli, est assecutus, vt cùm post semestre spatium vitâ fungeretur, eam sanctitatis opinionem reliquerit post mortem, quæ, quàm excellens fuerit Magistri sui institutio, facilè testabatur. Iam quantum satis erat callebat sermonis Iaponici, cùm ex Arimensi Domo, Superiorum voluntate missus est Ariam, locum hominibus frequentem, leucæ non amplius spatio ab vrbe Arimensi. Sedem hîc habebat Societas, quæ Carolo eiusque Socio attributa est, vt gentem illam excolerent, in quâ octona capitum millia censebantur. Hic primus campus fuit, quem egregius ille Colonus sudoribus suis irrigauit. In quem vbi se admissum sensit, post tot annorum vota, ne inferior esset priscis illis desiderijs industria, apud se decreuit, nullum subterfugere laborem, quo vineæ illius, à magno sibi Patrefamilias commissæ, vigorem tueri augereque posset. Atque ita vt decreuerat, fecit. Ordiendo igitur ab ipsorum Christianorum cultu, omnia Pastoris officia apud eos explebat; Pœnitentiæ, Eucharistię, & cùm necessitas incideret, Supremæ Vnctionis Sacramenta moribundis subministrando; quorum sollicitudinem in vltimis ambigui illius

exitus anguſtijs conſtantiſſimè ſubleuabat. Ingens hic fuit labor, vt magnus ægrorum numerus; qui longo locorum interuallo varijs ſæpè locis ad plures leucas erant adeundi. Non rarò igitur ieiunus laſſuſque, vno aliquo è loco reuerſus, in alium auocabatur, expectantibus nimirum qui reducem opperiebantur. Ille autem, non alio cibo ſomnoque recreatus, atque illo quem ſuggerit ardens ſalutis alienæ ſtudium, ſpirituſque feruor, promptus ſe conferebat, quocumque accerſebatur. Numquam doctrinæ Chriſtianæ explicationem intermittebat. Chriſtianos ditionis ſuæ priuatim inuiſebat, confirmabatque opportunis documentis: ſi quando verò concionandi eſſet tempus, id eâ cautione arripiendum illi erat, vt Iaponij Imperatoris iram (quem conſtabat Sacris noſtris infenſum) propagandâ ardentiùs fide, non nimiùm ad impediendam fidei diſſeminationem irritaret, etiamſi nulla ijs locis perſecutio erupiſſet. Neque ſolùm ſpiritualibus animorum ægritudinibus medebatur, ſed corporum quoque egeſtati, pro facultate ſuâ, prouidebat. Erant quippe inter eos Nobilitate conſpicui, qui olim, dum florente vtebantur fortunâ, Eccleſiam ſuis opibus fulſerant; nunc verò bonis omnibus dignitatibuſque ob Religionem exuti, nullo nitebantur præſidio, niſi vnius fiduciæ in

DEVM,

DEVM, charitatisque Christianæ. His omnibus Carolus (quâ erat animi teneritudine ac miseratione) subuenire studebat, non solùm exiguo illo paupertinoque peculio suo, sed collecto etiam à Lusitanis Iaponibusq; Christianis subsidio. Christianorum procurationi, studiũ addebat conuertendi Barbaros. Quod vt obtineret, ad eorum se consuetudinem, quantum poterat, fingebat, etiamsi moribus Europæis longissimè dissidentem. Atque vt natura contrarijs rebus assuefacta, initiò subinde abhorreret; dulcia tamen è fastidiosis ei redegit omnia, accensum illud pro Christo tolerandæ mortis, procurandæq; salutis alienæ desiderium. Eas ob res, certè videtur diuinitus ornatus singulari quadam gratiâ fuisse, adducendi plerosque ad Christianam fidem: suis quippe manibus ad quinque hominum millia Baptismo tinxit (vt certissimis ad probandam sanctitatem eius tabulis testatum est) qui numerus sanè exiguus videri non debet, expendentibus multitudinem strenuissimarum operarum, temporumque iniquitatem, ac cautelam, quâ prouidendum erat, ne vnius audaciæ periclitatione, summæ rei alea iaceretur. E baptizatis adulti, vt iam abluti erant, è viuis in cælum abibant magnâ Caroli voluptate. Quò lubet sequentis quoque rei euentum referre. Fortè amplâ in planitie

obambulabat, cùm eminus turbam hominum, vnum ad locum concurrentium, animaduertit; qui, quantum è longinquo notari poterat, rem aliquam in circulo circumstantium positam attentè intuebantur. Vt ergo in animarum piscatum semper illi expeditus pendebat hamus, obuium quempiam interrogat, ecquid in illo hominum se prementium cœtu nouæ rei gereretur? Intellecto, infantulum esse alicuius Barbari, quem agentem animam plebs admirabunda circumstaret; ille, strophiolo quàm celerrimè vicinis aquis madefacto, accurrit, dimouetque turbam, & perinde atque si medicinam aliquam moribundo facere tentasset, expressam capiti iacentis aquam aspersit, pronuntiatâ sacrorum verborum formulâ. Paucas post horas lustratus Baptismo infans, animam exhalauit. Tantum gaudiorum attulit Patri, lucrum illud animæ alioqui fortè perituræ; vt litteris ad Socios Lusitanos scriptis diserte affirmarit, etiamsi DEVS non aliud illi reddidisset laborum præmium, quos vel in illum vsque diem exhausérat, vel deinceps toleraturus erat, existimaturum tamen se, plus satis recepisse mercedis, vel vnicâ illius animæ salute, abs se, tamquam instrumento, procuratâ. Dum his proximi adiuuandi curis distinetur, sui perfectionisve suæ nequaquam est obli-

oblitus. Consueuerat quippe bimestri quolibet in Collegium redire, vbi spiritualium consultationum tractationibus, quæ super proprio cuiusque progressu, super ratione gentis illius curandæ, inflammandæque ad Religionem, super Christianorum optimâ institutione habebatur, lassitudinem animi recreabat, respirabatque tantillum; atque instar prouidæ nutricis meliore se cibo instaurabat, vt mox redux ad suos, concepti ardoris quasi lacte, populum illum adhuc tenellum, & rudem Fidei, faciliùs præstantiusque educaret. Exactis, ferè biennio, id genus occupationibus, Meacum, Iaponiæ metropolim, idemq; Idololatrię quasi quoddam Pantheon, missus est. Hîc Societas Collegium habet, conniuente ferenteque Cubo (quo nomine Iaponiæ totius Imperatorem appellant.) Annos septem in hac Domo Ministri munus egit, tantâ in omnes charitate, vt nullo vmquam mutati vultus indicio, per quamcumq; occasionem, vllum omnino acciperet, audiret, solaretur-que. Et mutuum illi amorem inuicem conciliauit affabilitas illa comitasque morum, planè vt exemplo proponi omnibus soleret ad imitandum. Quas ob res P. Franciscus Pacecus, insignis illius vineæ cultor, subinde cum Socijs colloquens, suadere eis consueuerat, vt cum P. Carolo frequenter tractarent, quòd

eius nimirum neceſſitudine, hominis (vt aiebat) charitate flagrantis, facillimè condiſcerent legem abſolutiſſimæ cuiuſdam charitatis. Sed quò ille erat in omnes blandior, eò aduerſus ſe ipſum exiſtebat ſeuerior atque aſperior; non contentus verbis commendaſſe pœnitentiam, niſi factis viam ipſe præmonſtraſſet. Quando bonâ vtebatur valetudine, plerumque noctibus ſingulis tergum ſuum flagris accipiebat; per Inediæ verò ſacræ tempus, ſanguinem etiam verberibus eliciebat. Cibi potioniſque adeò erat modicus, vt quotidianus eius victus, præter ſtata ieiunia (quæ peruigilijs omnibus ſolemniorum Feſtorum adhibebat) perpetua quædam abſtinentia vocari non iniuriâ poſſet. Adhęc cilicio frequenter ſe inuoluebat. Et quoniam Europæi, ob tantam cæli terræq; diuerſitatem, nihil æquè in Iaponiâ appetere ſolent, ac regionis illius fructus; ille, ſui vincendi ſtudio, multis annis ne guſtatu quidem delibauit; tenuiſſetque id propoſitum conſtantiſſimè, niſi Moderatores in poſterum iuſſiſſent aliquantulum ſibi temperare, rigorem tantum remittendo. Par huic ſecum pugnandi ardori erat egregia illius animæ cum DEO coniunctio. Solitus erat quotannis, per menſis ſpatium, recipere ſe ex ſtrepitu cuiuſcumque externæ rei, aut humanæ familiaritatis. Ac tum quaſi receptui cecinisſet,

nisset, intra se collectus, felicissimos illos dies cum DEO, per exercitia spiritualia, ardentissimique amoris affectus, consumebat: simul nimirum diuinæ Maiestati, animarum illarum salutem commendabat, illoque induebat spiritus, quibus deinde inflammatus, ad intermissas redibat curas. Inter orādum quotidie (vt tabulis ad testandam eius sanctitatem est probatum) tantâ cælestium voluptatum dulcedine perfundebatur, quantam dissimulare oculis non valebat. Fluebant ergo lacrymæ, maximè dum Sacris operabatur, quas, præsentis DEI suauitate captus, largissimâ copiâ profundebat. Ab hac intimâ cum DEO necessitudine, manabat scilicet cælestis illa animi fortitudo, quâ generosissimè mortalem hanc vitam aspernabatur; nec non promptitudo illa tam constans, quâ nullam non patiendi occasionē amplectebatur. Dum Meaci degeret, Iapones aliquot Macao reuersi (quòd in eâ vrbe indignè se à Lusitanis habitos in exortæ cuiusdam controuersiæ tractatione quererentur) apud Xongum Regem suum iniuriarum agebant. Rex, ratus non esse id iræ prodendæ tempus, conceptum in Lusitanos odium texit, vltione dilatâ; dum nauis, quæ Macao quotannis in Iaponiam soluit, esset appulsa. Tum igitur inopinatò nauim per vim rapi inuadique iubet; adhæc

Præ-

Præfectum ipsum, ceterosque administros captos, sibi in palatio sisti, vt pro arbitrio exigeret pœnas. Quæ molitio, si feliciter non euenisset, iactabatur, ab eodem Rege fuisse decretum, vt Religiosi, Lusitaniique, quotquot ijs insulis essent, necarentur. Tam sæuo certoque impendentis exitij rumore perculsi multi, non leuiter capiti suo metuebant; sed inuictus imperterritusque ille Caroli animus, titubantem eorum constantiam erexit, accenditque, vt vitam prompti obijcerent, neque illius iniurias reformidarent, qui postquam corpora trucidasset, non haberet amplius quid facere. Per id tempus cura ei quoque data erat Sodalitij Catechistarum dirigendi, vt quondam Arimæ congregationem administrarat, cui à Misericordiâ fecêre nomen; cuius institutum est, eleëmosynarum largitate, egentium inopiam subleuare, ægrorum valetudini subuenire, discrimina infantibus auertere (qui à Barbaris, per insignem immanitatem, propter fluminis ripam, vt mergantur, exponuntur) seruatisque Baptismi aquam infundere. Hisce in operibus exercendis princeps ipse erat. Lubenter adeò cum infimæ sortis hominibus versabatur: exiguumque ducebat, solandis pauperibus stipem corrogasse, nisi suis ipse humeris cibum etiam supportasset; quæ omnia (vt solet) honori vene-

nera-

nerationiq́ue illi vertebant, cùm per ipſum ſui contemptum euaderet clarior; cuius ſtudio numquam aut de rebus ſuis, aut de gentis ſuæ ſplendore loquebatur. Neque hic eius ardor anguſtis vrbis, ceterà frequentiſſimæ, mœnibus includebatur; extraxit induſtriam hominis in vicina loca, quæ idemtidem, Euangelicæ ſementis iaciendæ gratiâ, peruagabatur. Ac ſemel inter has excurſiones ereptus eſt diuinitus præſentiſſimæ mortis periculo, cùm in fluuij traiectu inuerſa fuit ſcapha. Sed non decebat ſcilicet aquis illum ſuffocari, qui ignibus diuinâ deſtinatione ſeruabatur, vt incendio Religionem ſanciret. Etiamſi verò periculo tam aperto ſit defunctus, non tamen omnis ſubtracta eſt tolerandi materia: nam grauem contraxit ex lapſu inualetudinem; ſeu, quòd diutiùs ſub aquis manſiſſet ſubmerſus; ſeu, quòd iam emerſus, omiſsâ humoris deterſione, non ſtatim per ſiccitatem facta eſſet medicina. In Collegio cùm degebat, accipiendis confeſſionibus erat indefeſſus: vt non immeritò admirati ſint, qui (poſt tot annorum ſpatium quo cum eo Meaci vixerant) notarunt eum numquam moleſtiam præſetuliſſe, aut excuſationis ſpeciem prætexuiſſe, aut in aliud tempus protuliſſe, quoties in exedram ad audienda pœnitentium peccata vocaretur. Exemplo relicto, quàm deceat mercato-

catores animarum, non esse segniores in faciendo salutari lucro, quàm mundanos illos, quorum haud facilè constantia fatigatur, vbi lucri sese monstrat spes. Post annos septem Meaci exactos, Præsidum auctoritate munus ei procurandæ Prouinciæ impositum est: quod vt maximi in Iaponiâ est momenti, sic magnam illius, qui id gerit, decet esse charitatem. Cùm namque Societatis in ijs insulis Domus aut sedes, nullo fulciantur certorum vectigalium redditu, Procuratoris illius cautio est, subministrare vniuersis (qui late Iaponiâ totâ sparsi sunt) quæcumque ad victum, vestitum, templa, viatica, similesque res necessaria sunt. Munus haud dubiè, quantò molestiâ suâ asperius, tantò diuinis obsequijs conuenientius; vt reliqui nempe eâ curâ expediti, illuc se promptiùs conferant, vbi messis vberioris sese spes ostentat. Cùm igitur per eam occasionem Nangasachum cõtendere deberet, vrbem commoditate portus, nauigijsque Meacensibus opportuniorem, incredibile dictu, quàm graues acciderint discessus eius nuntij, non Catechistis modò, sed Christianis vniuersis, qui Patris instar eum & amabant, & venerabantur. Ipsius quoque pectus teneritudinis cuiusdam contactu inflexum est, cùm à bono illo populo se auelli sensit, quem tanto cum sudore excoluerat. Hos igi-

tur

tur blandissimo alloquio solatus, hortatusque vt in acceptâ Religione constarent, non sine sensus tenerrimi lacrymis ciuitate excessit: neque impetrare potuit, quin multi Christianorum (cupientium, quàm diutissimè poterant, Pastoris sui consuetudine frui) ad leucas aliquot abeuntem comitarentur. Nangasachum vt venit, munus suum aggressus est, idemque annis septem administrauit, donec in custodiam, Christi gratiâ, est abductus. Immensum, quàm se viri charitas per huius occasionem Prouinciæ publicarit. Nam vt res sit longè difficillima, simul quod ex vsu est facere, simul omnium seruire sententijs; adeò tamen ei feliciter ea administratio successit, vt nihil non in tempore prouideret, nullius non præuerteret necessitati; id quod amori, vbi semel animum occupauit, promptum est atque expeditum. Tantò verò plus admirabilitatis hæc res apud omnes habuit, quantò grauior iam inde à susceptæ Prouinciæ exordio tyrannidis procella extitit (de quâ sequenti Capite scribetur) quæ & conatibus eius obstitit, & difficilem reddidit necessariarum rerum procurationem, nec nisi ægrè desiderijs omnium satisfacere permisit.

CAPVT

CAPVT XII.

Sæuissimæ cuiusdam persecutionis initium ac progressus.

ETIAMSI aduersus Euangelij lucem, iam inde ex quo tempore Iaponibus prælata est à sancto illo Indiarum Apostolo Francisco Xauerio (qui primus omniũ anno 1549. Idibus Augusti, ipso Virginis in cælum subuectæ Festo, ad ea loca appulsus est) varijs tẽporibus procellæ variæ coortæ sint, quemadmodum narrationibus eorum percepimus, qui illarum insularum historias condiderunt, constatque multorum testimonijs, qui ob defensam Religionem aut capitibus truncati, aut crucibus fuêre affixi; quicumque tamen præsentis temporis furorem cum præteritis asperitatibus conferet, vel inuitus fatebitur, eam, quæ etiamnum sæuit, dum hæc scribo, tempestatem, longè esse præcedentibus omnibus immaniorem; cùm ob grauitatem tormentorum, tum ob multitudinem conditionemque Ordinum omnium, cuiuscumque aut sexus aut ætatis, qui vitam profuderunt. Ac quoniam huius persecutionis desæuiente turbine, sanguinem suum Carolus Religioni impendit; vt clariùs intelligatur, ob propagatam fidem, supremo eum supplicio fuisse

fuisse mulctatum; ob propagatam fidem aduersus publica Imperatoris edicta, ducto à capite exordio, persecutionis originem progressumque hoc loco memorabo. Annus agebatur 1612, quò latè in dies, magnis Christianorum accessibus, glisscebat Religio; perueneratque in multa centena capitum millia numerus Christianorum, administrante rem Sacram Antistite quodam, quem è Societate nostrâ Pontifex maximus imperio coëgerat Apostolicam molestamque regendæ Ecclesiæ illius obire procurationem. Excolebant Iaponum animos centum & quinquaginta è quaternis Ordinibus Religiosi, supra alios non paucos Iapones, Sacerdotes sæculares, plurimosque Catechistas; nouem è S. Dominici Religiosâ familiâ; quaternideni è Franciscanâ; quaterni ex Ordine S. Augustini; qui, quòd à paucis annis in Iaponem aduenissent, non vsque adeò multas obtinebant sedes, sed in ijs quæ curabant Sacellis, omnium approbatione iuxtà ac diligentiâ, saluti Barbarorum incumbebant. Numerabantur è Societate centum & tres supra viginti; partitis Iaponiâ totâ Collegijs, Seminarijsque ac sedibus plusquam tricenis; præter Domos totidem, quas iniquitate superiorum temporum deserere fuerant coacti. Is erat huius Ecclesiæ status, quando inferi ipsi visi conspirare in

exitium Christianorum (DEI haud dubiè patientiâ) vt multorum sanguine irrigata Religiosa sementis, altiores ijs locis ageret radices. Nec inopinatò concussi Iapones, sed cælestibus monstris prodigijsque moniti sunt. Nam atri coloris cruces, priùs anno vno quàm coorta procella est, duobus in truncis candidarum ficuum, miraculo repertæ; quasi nuntiæ impendentis iactationis fuêre iudicatæ. Quin dæmonis ipsius minitationibus prænuntiata tempestas est; qui licet mendacij audiat pater; non rarò tamen, cælesti vi, testari veritatem cogitur. Sacerdos quidam sacris execrationum verbis Iaponem expiaturus, infestorem genium iubebat edere nomen, quis esset, quâve causâ hominem inuasisset. Respondit, in Iaponem se venisse ad vexandam Religionem Christianam, sicut fecerat iam multis retrò annis in Angliæ Regno, vnde recèns erat digressus. Nec longa præcedentes rumores antecessit mora. Dynastæ aliquot Religionis hostes, suspicaci Principis ingenio adrepentes, admonent Daïfusamam (ita pater Principis vocabatur, qui hodieque Iaponem regit) videret etiam atque etiam, an securitati suæ satis sit consultum, si gliscere in dies Christianæ legis institutionem in Regno suo sinat. Verosimile non videri, homines prudentes, insigniq; iudicio præditos (quales

sint

sint Europæi) desertis patrijs sedibus, tam vasta emensos maria, tot terrâ mariqúe incommoda tolerare, vt eorum solummodò saluti, lucrandisque inuigilent animis, qui extremis terrarum finibus abditi; nullam ipsi earum rerum habeant curam, aut etiam desiderio teneantur. Relinquebatur igitur conficiendum, Religionem prætexi quidem; reuerà autem, Insulas ipsas peti simulatione nouorum Sacrorum; sicut vsu-venisse testari possent Insulæ Philippinæ, aliæque Regiones. Valuit Imperatoris suspicioni accendendæ altera prætereà res: nimirum, cùm è Nouâ Hispaniâ Legatus in Iaponem aduentaret, Nauarchus eius, ignarus portûs, ne inuehendo fortè discrimen aliquod imprudens adiret, lentè, & quasi explorabundus, nauem in portum subduxit. Non probatum id Regi, cuncta in deterius trahenti. Et onerabat hęc inflabatq; apud Cubum ipsum hæreticus quidam Anglus; qui asserebat, hostilis animi esse, portum marisque altitudinem metiri: non alio signo bella apud Europęos indici solere. Quamquam, quid opus molitiones manifestis argumentis ostendere? quando iam dudum Religiosos homines, ad vulgandam Christi legem, præmisissent; cuius fraudis prouidi nonnulli in Europâ Reges ac Principes, procul eos finibus suis prohibuêre. Tantum pondus suspi-

caci Regis animo impressit ficti exempli species, vt publicè etiam diceret: *Non videor facturus iniuriam, si Euangelij præcones ditionibus meis proscripsero, quos Reges Europæi, aliíq; Principes nonnulli, Regionibus suis exclusêre.* In hanc ergo sententiam scripsit Michaëli Dynastæ Arimensi, vt Religionem Christianam exturbaret, Patresque Societatis solum vertere, & terris suis excedere iuberet. Nec satis securum id ratus; antiquatam diu legem denuò edixit: *Ne quis Nobilis, neu miles, in posterum Christianam Religionem profiteretur.* Hoc consilij cœpit, non solùm vt Religionem, iudicio suo, ostenderet indignam quam Nobilitas amplecteretur; sed multò etiam magis, quòd abstractis hoc commento in partes suas Nobilibus, militibusque, tutum tam fido præsidio se fore intelligeret aduersus vim exterorum. Exorsus ab Aulæ suæ Proceribus, qui Christianos se professi, in fide perstabant, eorum primùm bona publicauit, deinde etiam in exilium abire iussit, nullo discrimine nobilium feminarum. Ampliùs, ne exules cuiusquam subsidio fouerentur, eorum nomina per Iaponiam proclamata sunt, deterritis omnibus qui solari fortè eorum calamitatem voluissent. Imperatoris exemplum secuti Toni reliqui, seu Principes tum in Aulâ degentes. Exulum numerus, qui primo

primo illo edicto proscripti, nudi solatijs omnibus humanis, sed cælestibus diuites, solum verterunt, peruenit ferè in quadringentos: ijsque omnibus prolixa Christianorum charitas humanissimè subuenit, contemptis Tyranni minis. Michaël Arimæ Dominus, arrepto deferendæ Religionis mandato, statim scilicet paruit, metu amittendæ dignitatis; ad quam asserendam, violatis coniugij legibus, proneptem ipsius Cubi (etsi vxoratus) recèns duxerat domum. Hic, ad vulgandum Imperatoris aduersus Christianos edictum, trium apostatarum operâ est vsus, quorum princeps non ætate quàm sceleribus auctior Ludouicus, primus edixit perseuerantibus in Christianâ fide, bonorum omnium iacturam. Minatus insuper, vt qui vir aut mulier non obediſſent, vestibus omnibus spoliati, per summam contumeliam, publicis in foris prostarent nudi, spe omnis libertatis humanique auxilij præcisâ. Denique quisquis Nangasachi hospitio excepisset vnum aliquem proscriptorum, ipse, familiaque eius vniuersa, supplicio multarentur. Tum primùm Arimensi ex oppido, ceu vento, longiùs dilatum tyrannidis incendium. Siquidem Omuræ Regulus sanxit, ne quis pro Christiano se proderet; vtque iconum sacrarum simulacra afflicta solo protererentur. In Cuchinoso

Cruces omnes, Gubernatoris imperio, terrâ euulsæ sunt. Nihilo mitiores tabulæ propositæ fuêre Terrazanæ, Vsuquij, alijsque in locis: neque tamen eâ pœnarum acerbitate, impiorum odia satiata sunt, mox innocentium exilia, sanguine quoque fœdata; cùm alij securi subiecti, aliorum viua corpora flammis abolita fuere. Insolens in hunc diem Iaponibus id suppliciorum genus, in Christianos primùm exerceri cœptum est die 7. Octobris anno 1613. quo Martyres octo, sexu annisque distincti, vitam pro Christo posuêre; nimirum, vt his veluti primitijs, omnis ætas de ipsis flammis die vno triumpharet. In his puella extitit, annos nata 20. nomine Magdalena, quæ voti sacramento pudicitiam consecrauerat DEO, vti impressis iamdudum narrationibus publicatum est. Hæc funibus, quibus ad palum alligata fuerat, combustis, ardentior interno scilicet quàm externo illo quo flagrabat incendio, venerabunda candentes carbones, rosarum instar, exosculata, vertici suo imposuit in modum coronæ. Quo tam virili puellæ facinore, insigniq; aliorum Christi pugilum fortitudine, adeò reliquorum Christianorum, qui ad spectaculum conuenerant, pectora inflammata sunt, vt nullo flammarum horrore per medios irruerint ignes, ad amplectenda pro se quisque mortuorum

tuorum cadauera, partemque aliquam sacrorum illorum pignorum vindicandam. Qui aderant, infensi Religionis hostes, laudatissimum pietatis exemplum, apud Imperatorem in calumniæ traxêre argumentum; lenitumque eius animum, quasi nouâ scelerum delatione denuò exasperauêre. Videret nempe, quàm pernicioſa Regnis esset Christiana gens, quantamque malorum pestem in Rempublicam infunderent, qui Christum, hominem nefarium, inter latrones cruci affixum, pro DEO venerantes, non solùm non timerent mortem, aut fortunarum suarum contemnerent publicationem, verùm etiam eiusmodi suppliciorum contumelijs se crederent decorari; vsq; eò, vt etiam Sanctorum instar eos homines venerarétur, qui mortem pro falsâ suâ Religione obire, quàm obedire sanctissimis Imperatorum edictis, maluissent. Addebant onerandæ accusationi, insignem illam inobedientiam foueri in Iaponum animis, incitatione paucorum Religiosorum, qui cùm exteri essent, vltimisque mundi finibus exciti, vix patriæ Iaponum linguæ gnari, eorum se Religionibus antiquissimis obijcere; Numina, dæmoniorum nominibus violare; ipsos Numinum cultores, ignaros vecordesque appellare, non vererentur. His verborum facibus, incredibile, quanta Imperatoris animum

mum inflammauerit ira; decreuit quippe, ferendum penitus non esse, vt huiusmodi superstitio per Iaponem gliscceret, mandauitque Meacensi Præfecto, in tabulas referret nomina Religiosorum omnium, aliorumque Christianæ fidei administratorum, etiam indigenarum; quos pellere Regnis omnibus statuerat. Id decretum à Præfecto Patribus, qui Meaci erant, propositum fuit ad 19. Februarij anno 1614. additis mandatis, vt intra diem septimum discederent Nangasachum, indeque in patriam quisque suam renauigarent. Eadem imperia Fuxinum & Ozacam perlata sunt, vbi cum Societatis hominibus degebant Ordinis S. Francisci Patres. Vsiquium denique missa mandata, & in Figense Regnum, quibus locis Sacerdotes Ordinum S. Augustini Dominiciique degebant. Iam inde à tyrannidis principio, Episcopus preces edixerat in quadraginta horas; ieiunia, verberationesq; cõmendauerat Christianis. Quod idem Societatis Religiosis imperauerat Prouinciæ Præpositus; vt iunctis scilicet flagitationibus, tam sęuam tempestatem DEVM deprecarentur. Acceptis verò nouis discessus nuntijs, voluntarias cuncti duplicarunt pœnas, neque quidquam prætermissum est consilij, quo iratum Imperatoris animum ab irâ erroreque auocarent. Sed nimirum ita DEO visum

sum fuit, vt procella illa in præsens sæuiret. Quare instructis primùm Christianorum animis, in quem modum, ad Iudices vocati, responderent; adhibitisque post sacrorum Mysteriorum impertitionem adhortationibus, quâ fide DEO esset adhærendum, neque de cælesti desperandum ope, coacti fuêre omnes, (paucis, qui clàm se abdiderant, occultis) discedere ad 21. dicti mensis diem, communi Christianorum omnium luctu, qui Pastores nempe suos amittebant; flentibus vicissim Patribus, qui filios tot sudoribus partos inuiti deserere cogebantur. Breui post abitum tempore, templa omnia disiecta, non minore Barbarorum gaudio, quàm dolore Christianorum. Sexto deinde supra vigesimum Februarij diem, edictum huiusmodi Præconis voce Meaci pronuntiatum est: *Quicumque non obnuntiasset legi Christianæ, viuum igni crematum iri: Quicumque verò eam Religionem profiteri perseueraſſet, is columnam aut palum appararet cui vrendus astringeretur.* Non titubauit tam sæuis minarum commentis agitata Christianorum constantia: immò nec contenti carnificinæ suæ instrumenta ex imperio parasse; ampliùs, pro foribus columnam quisque suam in publicum extulêre; vt, si qui illac fortè transituri essent tyrannidis supplicijque administri, intelligerent

ſcilicet, quibus ædibus habitarent Chriſtiani, quamque ex ſe promptam haberent vitam eorum arbitrio proijciendam. Interea Nangaſachum attigerant Religioſi: quo ex portu cùm per inopiam nauium ſoluere non poſſent, Imperatoris decreto in proximum Octobrem remanere iuſſi ſunt. Octobri exeunte, poſt adhibita Chriſtianis firmandis officia, collectis vaſis ſacræ ſupellectilis, abſumptoque reliquo Euchariſtiæ pabulo, diſceſsêre vnâ naui Philippinarum Patres Dominicani, Franciſcani, & Auguſtiniani, cum tribus & viginti Religioſis Societatis, alijſque nonnullis Dogicis, ſeu Catechiſtis. Duobus alijs nauigijs Macaum verſus vecti fuêre tres & ſeptuaginta è Societate cum Dogicis aliquot & Seminarij alumnis. Ad ſeptimum aut octauum Nouembris, nauibus quidem abiuêre, ſed animis ad Iaponem adhæreſcentibus, ſic mœrentes, vt tamen ſe accommodarent voluntati magni illius Patrisfamilias, qui pro arbitratu operas in vineam ſuam mittit aut dimittit.

CAPVT

CAPVT XIII.

Latet in Iaponiâ occultus, ad iuuandos Christianos, deinde in carcerem abripitur.

SAFFOYIÆVS Nangasacho Præfectus, cui edictorum Imperatoriorum executiones obeundæ, aduersus Religiosos proscriptos, incumbebant, omni diligentiâ cauit, ne quis eorum vllis latebris abditus tegeretur. Eam in rem (cùm plateæ omnes Iaponum & noctibus clausæ sint, & vicus quilibet aliquem habeat reliquis habitatoribus impositum) iussit vt singuli vicorum principes, capitis bonorumque damno sese obstringerent, non permissuros vllum Religiosorum vico suo toto (quod scirent) delitere occultum. sed quoniam impar longè est Christianæ charitati nequitia omnis diabolica, ardor curandarum animarum, qui in Religiosis pectoribus flagrabat, facilè tyrannorum astutiam elusit: mansêre quippe in latebris terni & viceni è Societate nostrâ, alijque nonnulli è sacris dictorum Ordinum Familijs, præter numerum bonum Catechistarum atque alumnorum. In his fuit Carolus: qui licet glorioſum quidem duceret pro Christo in exilium relegari; sperans tamen, si remansisset, mortem etiam se amplius obiturum, magnâ feruoris significatio-

catione Superioribus indicauit, quanto teneretur desiderio non excedendi, cuius mox compos factus est, æquali suâ lætitiâ, atq; inuidiâ Sociorum, qui paribus quidem studijs, sed impare sorte, eamdem ambiuerant conditionem. Tantis porrò Carolus incessit gaudijs beneficij iam adepti, vt Patri cuidam in Europam scripserit, *nec tanti se eum vmquam æstimasse munus primæ suæ in Iaponem vocationis.* Vnà cum veste commutatâ, nouum sibi apud exteros indidit nomen Iosephi à Cruce, quod tenuit dum in custodiam raperetur; vt eo scilicet cognomento palàm profiteretur, quid intimis pectoris desiderijs haberet inclusum. Qui verò quantiq; exinde eius fuêre labores, difficile sit explicare. Rudis quædam imago illi obuersabitur, qui secum reputare cupiet suspiciones, periculaque assidua, quibus inter medios hostes idololatrasque circumuentus vixit; maximè si exilij seueriſſimas adiunxerit pœnas, quæ vix inter Christianos securum eum degere sinebant; cùm etiam eorum nonnulli, statim primo reflante tyrannidis turbine, desertores facti, principesque satellitum; antiquâ Religionis laruâ personati, dum fidem dissimulabant, ipsos fidei ministros prodidêre. Præterea tam amplâ existente vineâ, vitibusque adeò diffusis, pro exiguo numero vinitorum, perpetuo

eos

eos motu huc illuc vagari conueniebat. Quòd verò non tam vitæ propriæ iacturam Carolus metueret (quam DEO lubens consecrauerat) atque impendentia damna, quæ facturi erant apud quos ipse fuisset deprehensus, nullo certo hærebat loco aut mansione, sed latebras perpetuò commutabat, ne cuiquam accerseret incommoditatem. Adhæc, diuersissima Europæorum à Iaponibus species, diuersa corporum orisque forma ac color, ne sese proderent, noctes diebus permutare cogebant, somnoque ereptum tempus, audiendis pœnitentium accusationibus, sacrisque faciendis dare; quorum duo Dominicis Festisque faciebat, locis inuicem longiusculè distantibus, ad solatium afflictæ gentis. Sed audiamus quæ de se ipse permodestè Mediolanum ad P. Pompilium Lambertengum commemorat, litteris 20. Martij datis anno 1617.

Iam duo ferè anni sunt & dimidiatus, ex quo Christianis hisce excitandis colendisque, magno cum labore incumbo. E domo in domum clàm succedo, noctu confitentes audio, simulq; hîc Sacris operor, quia proprijs ædibus careo. Plerumque solus absque omni hominum consortione ago, nec vel vnius dici relaxationem recreationémve habeo, præter eam quâ Dominus eos impertitur, qui amore sui se fatigant, aduersasq;

saſq; res perpetiuntur. Grauiſsima quæ me torquet acerbitas eſt, non ſolùm pampinos florémque vineæ huius aduerſo tyrannidis turbine videre proſtratos, verùm etiam vuas propè iam maturas, tot tantorumq; laborum noſtrorum ſpem, iacere collapſas. Inter hæc tamen valetudinem tueor vt queo; neque vel tot rebus deficientibus, vnicaq; in diem refectione, eâque modicâ paſtus, adhuc macreſco: atque ita re ipsâ ſentio verum illud eſſe, Non in ſolo pane viuit homo. Simul id temporis (vt ijſdem litteris ſubiungit) cruciabatur exiguâ ſpe finis illius aſſequendi, ob quem præcipuè in hanc ſe expeditionem coniecerat; quòd intelligeret, miniſtros Imperatoris abſtinere decreuiſſe à cædibus externorum Religioſorum. Sed hoc eum metu exemit breuî, mors P. Ioannis Baptiſtæ Machiadi, Societatis noſtræ Sacerdotis, qui captus fuit, dum reum ſibi aduolutum ſacris Pœnitentiæ abſoluit. Is deinde 22. Maij anno 1617. (quia occultus latuerat, Chriſtique fidem aduerſus publica edictorum imperia vulgauerat) capite truncatus, cum P. Fratre Petro ab Aſcenſione, Ordinis S. Franciſci, viam ſcilicet aperuit Carolo, qui Sociorum omnium primus, parem ob cauſam, eum eſt ſubſecutus, genere mortis violentæ. Ac quaſi id iam tum præſenſiſſet animo; poſtquam exultauerat multum ijs litteris, quas Nangaſachi

sachi ad P. Mutium Vitelleſcum Præpoſitum Generalem ſcripſit 5. Octobris anno 1617. ſuper nouę cuiuſdam coronæ ornamento, quod Societati noſtræ pepererat mors P. Ioannis Baptiſtæ, hæc verba ſubnectit: *Equidem felicem me reputo, qui eo potiſsimùm tempore hîc remanſi, quo tam inſignem intueri coronam licuit. ..... Nec dubito, quin tunc quoque eam obtenturus eram, fuiſſet abſque graui heriſipilæ morbo, qui tibiam mihi per id tẽpus corripuerat; vt bimeſtri toto, quo duos Chriſtianorum pagos curæ meæ commiſſos obire decreueram, prodire domo non valuerim. Hîc verò facilè detectus captuſq; fuiſſem à milite Omurenſi. Imperfectio mea, meaq; culpæ, tam inſignem mihi palmam auerterunt; & certè indignum me tantâ felicitate reputo. Si tamen, vt ſeſe indicia dant, res in peius eant, ſpero quòd differetur, non auferetur. Intereà pro viribus Chriſtianos excolo, accendoq; ad martyria fortiter toleranda; ipſe verò in dies præſtò ſum, vt vitam pro eo obïciam, qui ſuam tam libenter, amore mei, abiecit. Et quoniam minùs occultus dego, quàm reliqui Patres, quibus omnibus ad me, vt Prouinciæ Procuratorem, eſt perfugiendum; primus fortè ero qui in vincula rapiar, & occidar.* Neque tamen ob has res, quas litteris attingit (nimirum quòd plus reliquis pateret, minuſque tegi poſſet, ob negotiorum ſuorum tractationem,

Patrum-

Patrumq; ad se conuentus) non solùm numquam eo munere liberari petijt, sed ampliùs etiam ad peragendum obtulit sese; ratus hac viâ faciliorem sibi aditum ad carcerem aperiri. Hic vinculorum amor, ardensque fundendæ pro Christo vitæ desiderium, adeò reddiderant eum intrepidum, vt alijs sui conciuerit admirationem, cùm capere nempe non possent, quâ ille ratione, inter durissimas tyrannidis calamitates, tam quietum erectumque ostentaret animum, quàm vix altissimâ in pace alius quisquam præ se ferret. Planè, vt nonnulli, qui ignorãt quantum solatij adferat insignis in DEVM fiducia, censerent, illam tantam animi quietem potiùs temeritatẽ, quàm fortitudinem esse existimandam. Non tamen ille prætermittebat circumspicere omnia. Ac licet, quoties sibi prodeundum erat (vt scribit) in omnem casum haberet paratum pectus; nihilominùs cauebat diligenter, donec compos flagrantissimorum suorum desideriorum, in custodiam amore Christi abductus est. Referam hoc loco ordinem modumque captiuitatis, adiunctis rebus omnibus, quas ipse accidisse sibi memorat, litteris è custodiâ Omuranâ datis 3. Martij 1619. ad Rectorem Mediolanensem. Addam etiam singularia nonnulla, ab alijs narrata, quæ captiuitatem eius anteceſſerunt; quare & diuinitus

ei

ei fuisse præsignificatam, quorumdam opinio fuit. Aduentus noui Gubernatoris Nangasachensis, cui nomen Gonrocuu, intutas Religiosis delitescentibus latebras fecit: quippe sagaciùs in eos quærere ab Imperatore iussus est, cui proditum nempe erat, non modò occultos remansisse multos, sed recentes quoq; adrepsisse. Ad tegendam ergo fraudem, blandorum rumusculorum famam callidè commentus est Gubernator; nimirum non esse se excussurum familias ciuium, ne hospitibus faceſſeret molestiam; noctibus solummodò inuigilaturum, cùm varias discurrunt in partes pro re atque vsu. Eo rumore accepto, Carolus in secretiores se latebras abdidit, contentus ægrorum audiendis confessionibus vacare, donec nouo P. Visitatoris mandato, foras prodire, in tempus prohibitus est. At inopinatæ valetudinis cura eum coëgit recipere sese in domum Dominici Georgij, pauperis Lusitani, in quam per id tempus extero nulli permissus aditus fuit. Ante quadraginta dies quàm caperetur, ingentis cuiusdam feruoris incrementa foris sese prodidêre, admirantibus ijs quibuscum versabatur. Longior erat in Sacro faciendo, instarque hominis à sensibus abducti. In precibus fundendis (quamuis semper aliàs huic fuisset exercitio deditissimus) solito erat frequentior. In familiari consue-

tudine, plus præ se ferebat amoris, lætitiæ atque affabilitatis. Biduo captiuitatem præcedente, ab oratione surgens, aduocat Catechistam, supellectilis ei quidpiam tutò occultandum commendat; pyxidemque icunculis instructam, quas à morte suâ dari Patribus amicisque iubet. Alijs accepti expensique tabulas, similesque chartas aliquot, in quibus pauca iuuandæ memoriæ notata, contradidit: scriniolum quoddam per eumdem Dogicum adferri sibi iussit, è quo duobus extractis rosarijs, alterum illius sorori, alterum fratri minori donare se dixit. Ipsi denique pileolum quemdam candidum reliquit; quæ erant vniuersæ opes ditissimi huius mercatoris animarum. Cùm verò excepisset Dogicus, se pileolo illo non egere; facturum satius, si egenti alicui daret; respondit Pater, *Tu vel in mei memoriam seruato:* illoque iterùm dicente, nullo sibi alio memoriæ pignore esse opus, à quo tantis deuinctus esset beneficijs, vt sequi eum, cum eoque commori paratus esset; reposuit Carolus: *Euenient omnia pro placito Numinis, sed scito, te mali nihil esse perpessurum.* Persuasum ei inter hæc, vt in alias clàm ædes se referret, tutelæ maioris ergò. Id quod facere decreuerat illo ipso vespere, qui festus S. Luciæ erat, anno 1618. sed partem, Sacri faciendi causâ, impertiendæque altaris Mysterijs

Elisa-

Elisabethæ Fernandiæ vxoris Dominici Georgij hospitis sui, quæ vehementer id ab eo contenderat; partem, ob alia quæ interuenêre impedimenta (nutu haud dubiè diuino) in diem sequentem dilata migratio est. Proposito igitur Sacri benè manè sub gallicinium faciendi (vt ante lucem factum esset) in cubiculum dormitum se recepit. Medio noctis, per somnij speciem visus sibi est videre latrones, perfractis parietibus domum irrumpêtes: quo visu excitatus, vbi somnij imaginem esse sensit, in somnum iterùm se componit, sed capere somni nihil deinde potuit. Vix horæ dimidiæ spatio lapso, adsunt milites Gonrocui, suffractaque per vim ianuâ, inuadunt locum, in quo Caroli Socius Ambrosius Fernandez, Societatis nostræ Religiosus, degebat, præterito viciniore foribus cubiculo, quod Carolus incolebat. Is, vbi quid ageretur, animaduertit, Deo scilicet se commendare, vitamque, si placeret, offerre; ad omnem se fingens Numinis voluntatem. Dum redit, inuento captoque Ambrosio, miles eorum vnus vestigabundus, vt fieri solet, cubiculum aperit, in quo Carolus supplex fundebat preces: qui vbi se in eorum esse potestate vidit, sublatis in cælum oculis, quanto maximo potuit affectu, gratias Deo pro tam singulari gratiâ reddidit. Illi protinus, iniecto fune, collum,

manus, pedes ei constrinxerunt, arctè adeò atque angustè, vt, scribentium testimonio, lacerata vinculis caro, perpetuas retinuerit vulnerum cicatrices, liuore, dum vixit, decoloratas. Abduxerunt in carcerem quoque Dominicum Georgium domûs inquilinum cum vtroque seruo; Catechistâ, qui vicinis ædibus diuerterat, prætermisso. Sic vinctus, cum socijs in Prætorium Gubernatoris ductus, sub dio, proximè stabulum, noctem diemque (qui Veneris erat) traduxit, graui frigore vexatus, doloribusq; nexuum; quos tandem Christiani famuli aliquantum relaxauerunt. Mox eumdem in locum tracti à satellitibus fuêre duo è S. Dominici Familiâ Religiosi: quorum vnus Italus, domo erat Lucensis, è nobili Orsucciorum prosapiâ, Angelus nomine, cognomento Ferrerius, quod sibi adsciuerat, religione Vincentij illius Ferrerij sanctitate clari: is dudum in Philippinis egerat (Lusonium appellant locum) recensque in Iaponem erat delatus. Nocte Veneris diem insequente, somni tempus audiendis Christiani famulitij confessionibus (quod in obsequio erat Gubernatoris) Carolus impendit. Curauit id temporis, sibi socioque suo adferri vestes quibus Societatis Patres ijs regionibus vtuntur; quod idem à Dominicani Ordinis Patribus factum: proprioque omnes, suæ quisque Familiæ

miliæ cultu, Sabbato ante prandium fuêre in examen coram Gubernatore producti. Hîc iussi nomen, cognomen, patriam, Religionem, ætatem denique edere; responsaque fuêre in tabulas relata. Tum ad Carolum versus Gubernator (quem priùs nouerat scilicet, quàm Iapone Religiosi erant proscripti) his eum verbis compellauit: *Equidem cogitatione assequi non queo, quâ vos ratione freti, affirmare positis, in has vos insulas veniſſe, vt vitam Iaponibus daretis, quorum aduentum video multis cauſam extitiſſe mortis.* Quibus verbis (cùm sentiret DEI seruus ab eo non intelligi, ecquid esset salus animarum) in hanc sententiam respondit: *Hæc mortalis vita, resq; omnes huius vitæ mortalis, vtpote caducæ, velociſſimo præterlabuntur curſu, ac ſemel neceſſariò deſerendæ ſunt. Cuius verò maximi noſtra veſtraq; omnium intereſt, ſalus eſt cuiuſque animæ, quæ numquam interit, moritúrve. Quæ ſalus, quoniam ſine Chriſtianarum legum obſeruatione haberi non poſſit, nihil mirum, ſi Iapones illi, (qui veritatis huius compotes fiunt) exultent, geſtiantq; adeò, dum æternam hanc vitam, exiguâ corporum ſuorum iacturâ atque exitio, adipiſci poſſint. Equidem quod ad me attinet, iam multorum annorum ſpatio ad felicem illam conditionem anhelo. Et quoniam ope veſtrâ ad ſummam me votorum meorum properare video,*

gratias habeo, agoq́ magnas; tantam abest, vt de Xonguno Iaponiæ Rege querar, aut doleam oblatam in me captiuitatis sententiam; neque offendor, succenseóve administris Regijs, qui imperium sunt executi; sed Dominum veneror, obtestórque, vt illi atque his gratiam largiatur intuendæ veritatis, redeundiq́ ad meliora. His dictis dimissus cum reliquis est in priorem locum. Mox, de prandio, solus à Gubernatore vocatur Carolus, duciturque in interius conclaue, vbi duobus familiaribus stipatus, Gubernator eum opperiebatur. His præsentibus, particulatim excutere, atque interrogare, *quâ ratione in Iapone remansisset, quibus in domibus se occuluisset.* Respondebat Carolus, *Non deesse artes, quibus facilè intra Regnum Christiani occulerentur, sed nefas esse eas prodere, aut domos indicare, ne hospitibus accerseret damnum. Cur ergo* (occurrebat Prefectus) *cum certo alieni exitij periculo remansisti, eorum nempe in quorum ædibus fuisses deprehensus? Suæ mentis fuisse,* aiebat Carolus, *nemini damnum dare, quare nec vllorum se vsum hospitio, nisi eorum qui vltrò inuitassent, desiderio salutis suæ; in quorum gratiam, vicissim ipse, periculo caput suum obijcere non reformidasset. At si Iaponum Rex* (subijciebat Gonrocuus) *non patitur vos sedem in Regno suo capere, cur vos contra eius imperia manetis? Si priuatus quispiam è Proce-*

ribus

ribus (respondit Carolus) *tibi mandatum aliquod daret, eiq; Rex ediceret mandatum contrarium, non dubito*, inquit, *quin Regis pareres imperio, iudicaresq; te sat habere præsidij, quo te alteri illi è Proceribus excusares. Sic ego, propter obseruantiam, quâ sum in Iaponiæ Regem, vestitu quidem Religioso nec vtor, nec publicè Christianos iuuo; sed veste simulatâ, clàm & noctu, defungor officio meo. At quia cæli terræq; Dominus, Regum omnium Rex, mihi præcepit, vt suo in obsequio manerem, duxi teneri me graviore mandato, etiamsi intelligerẽ vitam meam periclitari.* Tum versus ad familiares illos duos Gubernator, *Non auditis*, inquit, *insigne callidumq; commentum?* Excepit Carolus: *Non est, mi Domine, commentum hoc meum, sed lex diuinitus data, quæ neque refigi potest, neque à nobis mutata est. Neque machinatio est (vt vos dicitis) occupando Regno ditionibúsve vestris excogitata: nam si id ita se haberet, studeremus certè obsequi Magnatum Regumq; voluntatibus, adferendo vobis legem iucundam, commodam cupiditatibus, omniumq; appetitui seruientem; nosq; ipsi consectaremur genus aliquod vitæ commodæ ac iucundæ, neque (vti vobis ipsis est exploratum) à voluptatibus corporis, perpetuâ nostri subiugatione, nos ipsos abstineremus, sed commoda quæque amplecteremur, prono Bonziorum vestrorum exemplo, qui clàm sibi*

pro libidine indulgent, externâ autem ſpecie rigidiſſimam quamdam mentiuntur ſeueritatem. Dum hoc verborum ardore pergit falſas Iaponum ſectas concutere, iubet Gubernator, per duos ſibi præſentes, acciri alios Dominicanæ Familiæ Religioſos, retento Carolo, vt interpretis vice fungeretur. Carolus ſolus, Præfecti ſolius copiam nactus, (vti cum animo ſuo facere ſtatuerat, ſi fortè occaſionem aliquando adipiſceretur) hortari hominem, vt falſorum Iaponiæ numinum ſuperſtitioni renuntiaret, Euangelij ſigna ſequeretur, Chriſtiq́ue ſe caſtris adiungeret. Inſinuabat ſimul, ſat ſe intelligere, non eius ſe voluntate in cuſtodiam compactum, ſed Regis ipſius iuſſu: perſpectam ſibi eſſe bonitatis illius indolem, blandiſſimamq́ue comitatem, maturam etiam atque opportunam meliori Religioni capeſſendæ. Quoniam verò cupidiſſimus eſſet ſalutis illius, ſupplicabat ne differret Catechiſmi inſtitutionem admittere. Subriſit ſcilicet Gonrocuus, & conclaui ſe propiens, vt videret fortè an quis colloquio teſtis arbitérve vicinior adfuiſſet, reſpondit: Chriſtianorum dogmata non deſcendere ſibi in pectus. Cauſam eſſe, ſubiecit Carolus, quòd huc vſque concionibus numquam interfuiſſet, quas ſi audiſſet, procul dubio ei placuiſſent, ſi periclitari tantum lubuiſſet. Superue-

nêre

nère sermonibus duo, qui acciti erant, Religiosi; interrogatiq; quando, & quo nauigio in eas insulas veniissent; responderunt, interprete Carolo, *eo ipso anno è Philippinis se soluisse, nauigium autem (ne hospiti damno essent) indicare non posse.* Instare contrà Gonrocuus, *Satiùs igitur contineretis vos ditionibus vestris, saluti propriæ intenti, neque Iaponem turbaretis.* Opposuit iterùm Carolus: *Religiosos in nullius domũ inuadere per vim, sed accitos, inuitatósq;; atq; vt à multis, qui salutem ducunt posteriorem fortunarum iacturis, non aduocarentur, plures tamen longè esse, qui cælestis mercedis desiderio, omne adhibent studium, hospitijs eos suis tegendo, vel cum discrimine capitis manifesto. Cuius admissi causa, si in nexum abrepti, capitis damnarentur, id eos felicitatis summæ habere loco. Indè colligi apertè posse, Religiosos alieni damni non teneri, qui diutiùs apud Iapones mansuri non fuissent, nisi extitissent qui operam eorum imploraſſent. Neque verò acquiescere, solâ propriarum animarum salute, amplitudinem illam Christianæ charitatis, quæ vbi semel in Religiosorum hominum pectoribus est accensa, adnititur nimirum explicato sinu complecti nationes hominum vniuersas. Hinc illi auidi, populis omnibus, qui miserrimè excæcati cælestium rerum ignorantiâ laborant, adferre cælestem lucem (optimum scilicet Religionis thesaurum)*

quæ vna ducit ad salutem; nequidquam angustis patriæ suæ limitibus inclausi erumpunt, & periculis contemptis, per immensam currunt Oceani vastitatem, vitámque obijciunt mortalem, vt Iaponibus aperiant sempiternam. Hæc similiaque tanto ardore, Iaponicis verbis, pronuntiauit, vt ipse de se referens, numquam aliàs, quod sciret, sic fuisse se locutum, aut tam expeditè Iaponico vsum sermone affirmarit; vt nempe illud à Christo promissum ei quoque præstaretur: *Cùm steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini.* Iam Nangasachum venerat Præfectus Omuræ, Præfectorum aliorum militumque non exiguo numero stipatus, quos nempe Gubernator aduocarat, ducendis in Omurensem custodiam captiuis, in quâ multis iam mensibus tenebantur, P. Thomas à Spiritu sancto Ordinis Prædicatorum, & P. Frater Apollinaris è Familiâ S. Francisci, cum sex Iaponijs, quos abesse Nangasacho placuerat, ad arcendos Christianorum concursus. Decreuit tamen posteà Gubernator, captos tenere Nangasachi hospites duos Patris Caroli, aliorumque Religiosorum. Eo rumore per vrbem vulgato, plateas omnes (quâ captiuis transeundum erat) populus occupauit. Pro-præfectus Omuræ, tantis visis concursi-

cursibus, attonitus, metuensque seditionis, captorum tutelæ cauere noluit; quâ de causâ constitutum, vt loco prætorio proximo, in naues imponerentur. Carolus igitur ad conscendendum, trium platearum interuallo ductus est, vinctus, vt principiò, latronis instar, comitante Gubernatoris Aulæ Præfecto, militumque bono numero. Grata Numini fuit triumphalis illa pompa. Erant omnino septem, è quibus Religiosi quatuor, Iapones tres. Incedebant alius ante alium, singuli; apposito vnicuique ad latus satellite qui teneret restim. Frontem, tergum, latera, armatus vndequaque miles claudebat. Quantumuis autem ad cohibendam vulgi vim, longurijs arcebant eos qui ad tangendas Caroli sociorumque vestes præcurrebant, vix tamen cohibere eorum multitudinem potuêre, qui aspicere, postremumque vale Athletis Christi dicere, cupiebant; abruptim lamentantes, precantesq; elato clamore, vt DEO sese commendarent. Optabat per eam opportunitatem Carolus circumstantes Christianos inflammare ad ferendam constanter tyrannidem imminentem; sed quia serum erat, milesque festinabat, præter pauca ex interuallo verba, nihil admodum eloqui potuit, vt propositi firmitatem eis inculcaret. Ex littore (vt erant vinculis constricti) vnam omnes in nauem

uem compacti sunt, milite alias conscendente. Freto angusto duorum millium transmisso appulsi, à Pro-præfecto Omurano (qui paratâ equitum turmâ eos expectabat) fuêre accepti. Postquam conscenderant, Carolus, actis Præfecto Aulæ Gubernatoris quàm humanissimè gratijs, iussoque, verbis suis, saluere Gonrocuo, hæc insuper ei referenda mandauit: *Gratias se habere quòd captus ab eo esset, neque ei hac re succensere.* Pro-præfectus purgabat se obtentu muneris sui, rogabatque excusari imperio Regis. Iubebat porrò Carolum manibus solui, commodoque equo imponi. Conscensis equis properabant, dum fines Omuræ ingrederentur; & passim impleuerant vias Christiani, Nangasacho vicinisq; è ciuitatibus effusi, qui crebro planctu fletuq; super tantis, vt vociferabantur, iacturis ipsos captiuorum animos commouebant. Inuectus Omuræ fines, milites (qui Nangasacho captiuos stipauerant) Præfectus dimisit; duobus recentibus vnicuique appositis, præter multos qui vndequaque exciti ad cingendum aduolabant: cùm verò longiusculum restaret iter, iamque incidisset nox, faces pellendis tenebris plurimas accenderunt. Carolus (vt ipse litteris narrat) partem, cum sodalibus captiuitatem Christi meditando, partem, Psalmorum hymnos canendo, incedebat gaudens,

quòd

quòd dignus habitus essct pro nomine IESV *contumeliam pati*. Peruenêre tandem in domum vbi erat pernoctandum. Hîc Christianos quosdam sacrâ exomologesi Carolus expiauit. Sequenti die, qui Dominicus erat, postquam se mensâ refeciſſent, repetitum est iter. Præfectus cùm equum obtuliſſet Carolo, ille exorauit, liceret hoc sibi pedibus facere, dum ad littus attigiſſet, vnde ingens traijciendum fretum, in cuius aduersâ ripâ carcer erat, in quem ducebantur. Vbi in conspectum carceris ventum est, Hymnis cantibusque signum eminus dedêre Patribus alijs captiuis, qui inuicem canendo è custodiâ hilariter respondêrunt. Aditu in carcerem patefacto, difficile sit explicare, quantâ hinc inde lætitiæ significatione, in mutuos sese coniecerint complexus, cùm dudum scilicet eos omnes Carolus nouiſſet: memorque, quid simili tempore à Clemente Martyre factum esset, primo carceris ingressu in hæc verba prorupit: *Non meis meritis huc me Dominus misit vestris coronis participem me fieri*. simulque tanta diuinæ dulcedo consolationis eius pectori illapsa est, vt, quod Rectori Mediolanensi scribit, in cælestem paradisum ingredi sibi videretur. Hanc ipsam certè lætitiâ explicans, in hæc verba è Iapone scripsit P. Ioanni Baptistæ Porro mense Februario 1619.

Tan-

Tandem aliquando in carcerem detrusus sum, ductúsque publicè, latronis instar, vinculis constrictus per plateas aliquot ad ripam vsque maris, ad quod spectaculum vrbs tota conuenit. Lætus admodum dego, neque pares DEO *gratias agere valeo, pro beneficio quo me est impertitus. Adiuuet me obsecro Reu. Vestra in reddendis, pro debito, gratijs, finémque mihi exoret tot iam annis, vti scit, à me desideratũ, condonétque imperfectiones meas, quas, ex quo Mediolani inuicem nouimus, obseruauit. Si mea me peccata impeditura sunt, ne sanguinem pro* DEI *amore fundam, at saltem dignus factus sum, pro nomine* IESV *contumeliam pati, quæ sanè non exigua est gratia. Modò sanctissima eius de me voluntas fiat, id abundè mihi solatij erit.* Alijs verò ad Patrem quemdam, qui Macai erat, ardentissima hæc verba scripsit: *Ecquando, ô* DEVS *meus, hoc ego beneficij meritus sum, vt dignus efficerer pro nomine* IESV *contumeliam pati? O benè collocatos labores meos, quos itinere tam longo ex Italiâ in Iaponiam tuli! O benè remuneratos dolores, præsertim illos, qui tyrannidis huius sæuientis temporibus tolerati sunt! etiamsi numquam assequerer, quod præcipuè semper expetiui, cuiúsque desiderio in has regiones profectus fui.*

CAPVT

CAPVT XIV.

Asperitas carceris.

TAM graues fuêre dolores, quibus fortis hic Athleta quadriennij ferè spatio in custodiâ est conflictatus, vt P. Ioannes Baptista Porro (cui omnia fuêre certissimò explorata) litteris, quas è Iaponiâ Mediolanum scripsit Calend. Febr. anno 1623. ad quemdam è Societate Patrem, super Caroli viui Sociorumque incendio (dum longos carceris cruciatus comparat cum immani tormento mortis igne lento illatæ) non dubitet illos etiam huic supplicio anteponere: concedat licet, hoc mortis genus, acerbissimum habere doloris sensum, qui quidem tolerari possit. Vt igitur in lucem extraham dura illa incommoditatum tormenta, tolerata ab illustribus illis Athletis, *inter tenebras quondam pressurarum carcerúmque vmbras* (quibus verbis in pari argumento vtitur Venerabilis Beda) adumbrabo hoc Capite diuturnæ custodiæ modum, exponamque minutatim cuncta quæ ad eum spectant; si tamen in cruciatibus, qui pro Christo feruntur, particularis aliqua res, minuta aut parua, & non potiùs augusta ac magna appellanda sit. Carcer igitur, in quo primùm cum sodalibus Carolus egit, tugurium

rium fuit, ſtramine malignè tectum, quadraginta palmos longum, latumque palmos viginti, impoſitum colliculo, qui virentibus perpetuò arboribus conſitus erat. Is collis aſpectu quidem amœnus, ſed tribus à partibus mari cinctus, omni iniuriæ tempeſtatum obijciebatur. Tugurium duplici cingebatur ſepe, quæ ſimul, quâ parte aditus erat, caſas aliquot includebat, quibus vigiles locantur, qui gnauiſſimè excubant, ne quis aut ad confitenda peccata, aut ad litteras apportandas, aut ad inferendos cibos, cuſtodiæ propinquet. Permiſſum id temporis captiuis (qui omnino ſeni deni erant) è tugurio exſpatiari intra ſepta. Sed quia tugurium ſeu vetuſtate, ſeu tempeſtatibus labefactum ruinam minabatur, decreuêre ſatellites, nouum eodem loco inſtaurare. Quas ob res 21. Iulij 1619. captiui omnes nauigio impoſiti, in pagum (quem Cubaram vocant) Omuræ ex aduerſo propinquum, ducti ſunt. Huc deuecti, exiguæ caſæ, quam ſtramen tegebat, includuntur ad octonos denos dies, quo nempe interuallo nouus carcer parabatur. Haud leuia fuêre dierum illorum incommoda, cùm propter loci anguſtias, quo ſex & decem viri includebantur, tum propter ſolis flagrantiam, quæ per feneſtram vnicam, quâ parte non ſpirabat ventus, nullâ auræ temperie frangebatur, acce-

accedente grauitate odoris, vnde nauſea continuò exiſtebat. Augebat has aſperitates tenuitas victus, cùm excubitorum accuratiſſima vigilantia nihil inferri annonæ pateretur. Hinc omniũ tentata valetudo alui profluuie, quæ Carolum exhauſit, & verò non paucos, ſi duraſſet, erat abreptura. Ipſe, quantumuis extenuatus viribus, animo tamen geſtiebat, vt litteris ad P. Mutium Vitelleſcum Præpoſitum Generalem ſcriptis 18. Febr. in hanc ſententiam indicauit: *Læti hilaréſque viuebamus, & ſolito etiam ampliùs indulgebamus cantandis Pſalmis*, DEOq; *agebamus perpetuò gratias, quòd dignos nos feciſſet qui amore ſui pateremur.* Ad 7. Auguſti, vt ijſdem ſignificat litteris, in nouum ergaſtulum fuêre reducti; quod cùm anteà longè altero fore incommodius intellexiſſent, habuêre ſcilicet materiem augendorum meritorum, animiq́ue ad duriora comparandi. Vt venêre in conſpectum carceris, illo ſe ſacri Vatis carmine incitarunt: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* & Carolus quidem ad milites, *Gaudeo* inquiebat, *vehementer, tam anguſtis me cuſtodiæ latebris includi propter Domini mei amorem; cùm ſperem, eò me laxiore loco fruiturum in cælo, quò arctiorem hîc nactus fuero in terris. veſtri certè magna me tangit miſeratio, qui* DEO *exoſi (vtcumque libertatem*

veſtram æſtimetis) tandem in tartarum compacti, æternis excarnificabimini cruciatibus; qui numquam finientur, numquam minuentur. His dictis, genua flexit in ipſo cuſtodiæ limine, moxque ingrediens, illud Pſalmi cum Sodalibus canere cœpit: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam.* Deſiderans nimirum non educi viuus, niſi fortè ad ſanciendam Religionem vel cruce vel rogo. Latus hic erat carcer palmos ſexdecim, longus quatuor & viginti. Contextus auiariæ inſtar cortis, palis diſtantibus intercapedine duorum digitorum; tegulis tectus, ſtratus trabibus, quibus tabulæ craſſæ pro pauimento erant affixæ. Fores ferâ claudebantur, erantque adeò anguſtæ, vt vix tranſitum darent corpori humano. A latere patebat feneſtella, magnitudine lancis, quâ cibum captiuis ſatellites quotidie inferebant. Circuibat carcerem via lata octonos palmos, atque hanc duplex obibat ſeps, depacta ex arboribus denſis, longiſque, & in cuſpidem acuminatis, quas ſpinæ ſuperne induebant. Vnico aditu, haud procul foribus carceris, ſeps patebat ſub prandium aut cœnam. Erant præterea duabus in partibus ædificatæ domus, vna pro ſtatione vigilum, qui diu noctuque excubabant; altera in vſum Decurionis, qui crebrò circitores iubebat circuitionis munere fungi.

Reli-

Reliquum denique loci includebatur sepio bene munito, in quo princeps porta, & via qua ad sepis interioris ianuam adibatur, quæ geminis claudi cancellis consueuerat. Lineamenta carceris ad calcem Operis huius subiecta spectabuntur. Huiusmodi igitur, vti diximus, fuit nouæ custodiæ facies, in qua tot annis illustris hic pugil vixit, è qua numquam, ne quidem intra septa (vt poterat, dum vetere custodia vteretur) est exspatiatus, satellitio egressum prohibente; nisi quando Firandum, deinde ad supplicium (vt infrà referemus) abductus fuit. Res verò reliquæ, quæ custodiæ huic accessêre, huiusmodi sunt, vt vix cogitatione, nedum breuibus verbis explicari queãt. Ipsemet vnis litteris affirmat, *singulos corporis sensus proprijs fuisse doloribus conflictatos*. Magna certè inprimis erat loci angustia, vt neque procumbere nisi ægrè, neque ambulare vel ad passûs spatium possent. De hac ita ad P. Ioannem Baptistam Porro: *Angustè admodum habemur*; *neque enim quisquam plus habet spatij quàm duorum palmorum & trientis*. Animaduertendum quippe illud hoc loco moneo, fuisse, cùm hæc scriberet, captiuos octo & viginti, qui numerus deinde venit in tres supra triginta. Estque testatum tabulis, quæ probandæ Patris sanctitati scriptæ sunt, *nocte illos non potuisse sese extendere, ad ca-*

piendam quietem. Has tantas anguſtias illa quoque neceſſitas conſequebatur, quòd nemo loco vllo ſubterfugere conſpectum ſodalium poſſet; ſic, vt actionum vel minimarum cogerentur perpetui adeſſe teſtes, homines tam moribus patriaque diuerſi, quàm charitate inter ſe vincti. Non leue profectò tormentum, tantoque naturâ ſuâ intolerabilius, quantò honeſtiùs ad ingenuam indolis liberalitatem educatus eſt animus patientis. Iam victus parcitas reſpondebat anguſtijs carceris, quippe, vt ipſe epiſtolâ 18. Febr. anno 1621. datâ, ad quemdam in Luſitaniâ Patrem ſcribit, *Eorum vita erat perpetuum ieiunium, adeóque aſperum, vt ſatis cibi quidem ſemper ſuppeditaret ad arcendam mortem, ſed numquam ad comprimendam famem:* quæ illum res vnà cum crebris inualetudinibus adeò extenuauerant, vt dubitaret ſæpiùs, an non ſubitâ aliquando morte per ſolam debilitatem defungeretur. Omuræ Præfectus orizam, ſalem, ligna, haleculas ſalſas, certo numero eis admetiebatur. *Ordinariæ epulæ* (ſic loquitur quibuſdã in litteris) *ſunt lances duæ orizæ frigidæ, aquâ purâ coctæ: præterea paropſis vna xiri*, (*ſorbitionis id genus eſt, herbis ingratis mixtæ*) *tam amari, vt hauriri vix queat; adhæc exiguum radicis crudæ ac ſalſæ, aut par vnum halecularum aquâ calidâ aut frigidâ ſalitarum.* Alijs ad P. Matthæum

thæum Cobros Iaponiæ Prouincialem sic scribit: *Tanta nos vexat fames, vt nuper, cùm satellites frustilla aliquot obtulissent panis malè ac sine fermento cocti, iamq; indurati; quisque nostrùm perinde comederit, ac si Marsi panis deliciæ fuissent.* Intellexit tandem Gonrocuus, quantâ ciborum parcitate extenuarentur, neque verò abesse longè, quin capti omnes inediâ necarentur. Missо igitur ad carcerem suo quodam Iasueymone, cum mandatis vt lautiùs inposterum haberentur. Is pactus est cum Structore annonæ ergastularię, vt singulis, in dies singulos, quantum æstimatum monetâ Romanâ conficeret summam octo Baioccorum. .... At Structor ethnicus intentior lucro quàm officio, sibi scilicet lautiùs prouidebat, defraudato victu alieno; & nihil, aut certè exiguè, augebat mensam captiuorum: subministrabat namque in posterum pauxillum carnis, vel salsi piscis, & putrefacti, quæ vt illata fuerant, intacta referebantur, abstinentibus se captiuis. Contendebant quidem Nangasachenses Christiani res multas captis submittere, quæ subinde in custodiam penetrabant, cùm aliquis è satellitio Christianus excubias ageret; sed plerumque tamen eæ res non perferebantur. At magnus ille annonæ Structor, qui escam subministrat auibus, terramque conuestit floribus

(cuius illi amore inediam tolerabant) hanc mensæ tenuitatem, cælestium consolationum copiâ liberalissimè compensauit. Ea certè Numinis munificentia fuit, vt numquam defecerint aut candidi Hostiarum panes, aut vini, candelarum, ceterarúmve rerum copia, quanta ad Sacra facienda esset opus, quibus operabatur quotidie Carolus, animique vires cęlesti illo pabulo instaurabat, quoties valetudine non impediebatur. *Et per huius facultatis copiam*, inquit litteris ad P. Sebastianum Viera scriptis 20. Febr. anno 1620. *hoc ergastulum mihi paradisus esse videtur.* Quia verò hic carcer positus edito in colle, vim omnem excipiebat ventorum, nec aliter compactus erat, quàm palis inter se distantibus, magnam id scilicet vexationem conciliabat, seu æstate, seu hieme. Ac licet per æstatem, spirantibus vndequaque ventis, molestia nonnihil leniretur; feruentissimi tamen ardores (radijs pro solis cursu omni ex parte penetrantibus) ipseque numerus captiuorum, adeò incommodabant, vt affirmarit Carolus, *diurnis nocturnisque se sudoribus maduisse*. Hieme autem id omnino reddebatur intolerabile, cùm neque gelidus aër excludi, neque pluuiæ & imbres arceri, neque niues, quæ vento per omnem partem ingerebantur, intercipi possent. Tantò verò acerbior erat frigoris sensus, quantò grauior

grauior veſtimentorum, quibus tegebantur, inopia, quorum nullam facultatem Nangaſacho ſupportari ſatellites permittebant. Hac de re ita ad Patrem ſcribit, qui id temporis Iaponicam Prouinciam adminiſtrabat: *Aſſeuero Reu. Veſtræ neminem eſſe è nobis, qui, æſtimato inferioris appetentiæ ſenſu, non mallet vinus concremari quàm hunc carcerem ferre. Nam omnes à veſtibus ſumus pænè nudi, neque vigiles permisêre, vt denuò ad nos referrentur, quas ſarciendas Nangaſachi locaueramus; ablatáque etiam lodice, nihil paſſi ſunt importari. Neque, quamuis in vertice collis obiecti ventis degamus, vel tegetem conceſſêre, flatibus, imbribus, niuibúſve arcendis; planè vt immane ſit frigus.* Loci frigoribus affectus interijt Frater noſter Ambroſius Fernandez, annos natus nouem & ſexaginta, Caroli in cuſtodiâ comes, 7. Ianuarij anno 1620. qui paralyſi grauiſſimâ correptus, ob copiam, vt aiebant, niuium, quæ ſæpiùs per eos dies deciderant, duodecim horarum ſpatio (tantum enim tenuit temporis) adhibitis (quæ DEI ſingularis gratia) Sacramentorum omnium præſidijs, felicem ſpiritum eius manibus credidit, à quo laborum per annos quadraginta in Societate exhauſtorum præmium, mercedemque exſpectabat incommoditatum, quas non minore patientiâ alacritateque tolerarat anno

& duobus supra vicenos diebus; cùm aliud ferè per id tempus non spiraret, quàm ingens illud desiderium ardendi in exitiali rogo, aut moriendi in cruce, ad testandam Religionis veritatem, pro quâ mortuus esse negari non potest, qui per solam tractationis asperitatem in eâ custodiâ vitam amisit, in quâ vinctus amore Christi tenebatur. Ne verò deesset suus quóque cruciatus oculis, noluêre milites lumen in carcere per noctem accendi; vt in tenebris fuerit exigenda. Quâ in re, tanta vigilum extitit pertinacia, vt ne lucernulam quidem eâ nocte, quâ Ambrosium repentina vis morbi inuasit, Carolo concesserint, quantumuis obtestanti, ad olei sacri mysterium ægro, in supremâ illâ luctâ, impertiendum: in quâ necessitate tormentarium funem incenderunt. Non deficiebant quidem candelæ, quæ Sacro faciendo fuerant submissæ; at ne vigilibus proderent lumen (quod in vase abditum abscondebatur in hos vsus) maluerunt eam noctem in tenebris agere, quàm periculum adire carendi in posterum cælesti illo epulo Angelici panis, quo clàm recreabantur. Prohibuêre & in posterum satellites, vt cultellis forficibusque capti abstinerent: quâ re, ne damna ijs accerserent, qui id genus instrumenta in carcerem supportarant, capillos barbasque (Eremicolarum instar) captiui promiserunt.

ſerunt. Sed grauiùs omnibus hos pugiles vexauit continuus quidam fœtor, cuius mentionem cùm facit Carolus epiſtolâ quadam ad P. Ioannem Baptiſtam Porro, ſic ſcribit: *Incitat me grauitas odoris, vt ad cælum ſuſpirem*. Naſcebatur hæc graueolentia ex multitudine hominum tam anguſto loco clauſorum; ex flatuum aëriſque corruptione; ex præſente cloacâ, in quam (quoties neceſſe erat) exonerare aluum cogebantur; ex ſudore corporum, quæ numquam ſiccabantur. cùm nimirum vetaret miles aut recentibus linteis mutare obſoleta, aut lauare iam vſu inquinata: vt de Carolo ſpeciatim ſcribatur, quòd triennio toto neque induſium neque veſtem commutarit. Hinc tanta pullulabat animalculorum ſordiumque vis, vt morſibus aculeiſq; confixi Confeſſores, nullam vmquam caperent partem quietis. Atque vt experirentur viui, quod nullo doloris ſenſu à mortuis percipitur poſt vitam, à ſummo vertice ad imos vſque pedes omne genus vermibus, è corruptâ materiâ natis, erant cooperti: quæ materia (quoties pluebat) exundante latrinarum cloacâ, pauimentum cuſtodiæ inundabat. Prorſus vt non iniuriâ Carolus verba illa pronuntiare poſſet, quæ ſimili in caſu vſurpauit Iobus, cùm ſordidatus lamentaretur: *Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me*

comedunt, non dormiunt, in multitudine eorum consumitur vestimentum meum. Tormenti genus haud paulò atrocius quàm primâ sui facie æstimari possit; aduersus cuius cruciatum non aliud Carolo medium suppeditabat, quàm patientiæ, viuæque in DEVM spei, *à quo* (vt ipse loquebatur) *Professionem impetrare sperabat in cælo tam duri Nouitiatûs, atque in quadriennali carcere exegerat veteranus tyro.* Et mirum sanè videri possit, quomodo vitam tot inter carceris vexationes optimus Pater tolerarit, aut quomodo tantis incommodis non succubuerit. Sed magnum illud Numen, in cuius manibus vitæ nostræ momenta, annique mortalium versantur, superesse nimirum voluit tantis certaminibus incolumem, vt maiore victoriâ triumpharet; reddendo ei per interualla sanitatem (vt videbimus) frequenter supra omnem spem, medelamque artis humanæ.

CAPVT XV.

Vita ab eo in carcere acta.

IAM acerbitates incommodaque vidimus, quæ Carolus, dum captus fuit, in custodiâ superauit. Sed quoniam virtutis non merentur nomen, quæ necessitate tolerantur, nisi patientiæ spiritu animata, voluntatis nostræ

cum

cum diuinâ conſpiratione adminiſtrentur; hoc Capite exequar, quales, tot inter labores, calamitateſque tam ſæuas, fuerint Caroli in cuſtodiâ mores. Primùm quàm ſtatim captus fuit, ad pleroſque Societatis Patres in Iaponiam, Luſitaniam, Macaum, Goam, litteras ſcripſit ardore cæleſti plenas, quibus gaudiorum ſuorum copiam, internarumque abundantiam lætitiarum, diuino fauore ac miſericordiâ animo ſuo ſuperfuſam, expreſſit. Neque aliam ob cauſam, iam inde ex eo tempore, antiquo cognomine mutato, litteris omnibus ſubſcripſit, *Carolus incarceratus*, aut, *Carolus pro Chriſto captus*; quàm vt oſtenderet, quanti captiuitatem ſuam æſtimaret, exemplo Apoſtoli Pauli, qui adeò vinculorum ſuorum honore gloriabatur. Quia verò verborum meorum exilitate, vti par eſt, explicare nequeo ſenſum illum efficaciſſimum Caroli, eius ipſius verba adferenda duxi, quibus facilè quiſque intelliget, quàm inflammatum habuerit pectus. Epiſtolâ quadam ad Patrem aliquem in Iaponiâ, *Tandem*, inquit, *venit hora mea, atque, vt clarè mihi innotuit voluntas Numinis, ita Diuina eius bonitas ſperare me iubet, non egreſſurum me hoc carcere, niſi vt in cælum mittar. Quare conſolationibus ſuperabundo ob tam felicem conditionem, quæ mihi obtigit, expectans feliciſſimam exitus mei horam.*

ram. Vtinam ita Domino placeat, vt hinc non egrediar nisi ad moriendum, aut ad Euangelium liberè disseminandum! O mi Pater, quàm liberaliter mihi Dominus labores meos omnes vel hac gratiâ compensauit, quòd amore illius captus sim! O Pater, quàm suauis & delicioſa res est pro Christo pati! Id ego, ex quo in hunc carcerem veni, liquidiùs experior. Atque hinc tantus eum anxietatis sensus vrebat, quoties ei scribebatur, fore vt è Iaponiâ proscriberetur; blandeque cum eis expostulabat, qui eum similium rerum admonebant; obtestans, tam iniucundis nuntijs indicandis in posterum abstinerent. Quoniam verò intelligebat, singulare DEI beneficium esse, pro Christo mori, adeoq; negatum frequenter, multis, quantumuis ardenter cupientibus, ipse sanctâ quadam animi demissione pauidus, ne ob culpas fortè, quarum conscientiam habebat, à DEO, tamquam indignus eo præmio, reijceretur, amicorum assiduè patrocinium implorabat, vt coronæ tantæ dignitatem à benigno sibi Numine impetrarent. Quoties autem adferebatur, moriendum ei pro Christo fore, perpetuique custodiâ carceris iam damnatum esse; liberaliter cuilibet tam gratos sibi nuntios scribenti, Sacri vnius munus, strenæ nomine reddebat; tantâque interim gaudiorum suauitate obruebatur, his nouis acceptis, vt

celare

celare aut temperare nequiret, quin erumperent foris. Sic loquitur ijs litteris, quas scripsit P. Ioanni Baptistæ Baëza, Rectori Collegij Nangasachensis. *Magno me solatio affecêre iucunda illa noua, quæ suis mihi litteris nuntiat: at longè certè meliora sunt, quæ ex ipso Gonrocui ore non-nemo, fide grauitatéq; spectãdus, accepit; nimirum, Octobri proximo viuos nos igni esse comburendos. Vtinam veri sint nuntij! O Pater dilectissime, si palo semel alligatus, igneq; combustus, pro Christo fuero; quanta erit illa mea felicitas! Equidem animaduerto, tanto me fauore longè esse indignissimum; sed immensam quoque* DEI *miserationem esse, non ignoro. Ac fortè, si noua illa non fallerent, hisce Reu. Vestram arctissimè complexus, valere iubeo, dum in cælo iterùm mutuò videamus.* Aliâ quadam epistolâ indicat nihil sibi deesse ad felicitatem, præter nuntium, sanguinis pro Christo expendendi. *Sani*, inquit, *incoluméque in Paschatis Ferias viximus, peractâ licet cum parcissimo cibo Quadragesimâ; adhibitaq; in dies singulos benè longâ corporum flagellatione. Id solum deest ad summam, vt noua illa adferantur, breuî nos abreptum iri in macellum. Etiamsi verò nauigijs nos non imponant, vt è Regni finibus relegemur, certè in carcere hoc mori parati sumus.* Atque hoc tam ardens desiderium vitæ pro fide offerendæ, non aliunde manabat,

bat, quàm ex impulsu quodam præstantissimæ charitatis, diuiniq́ue amoris, cum egregiâ mentis demissione coniuncti,& ab amore sui longè maximè alieni; qui nempe perpetuò illi inculcabat,non posse ab eo meliùs tantum compensari gratiarum cumulum, quantum in pectus eius diuina liberalitas plenâ, vt aiunt, manu congesserat; quàm si vicissim amore illius profunderet vitam. Atque hæc quæ à me dicta sunt, ijs facilè ex litteris colliguntur, quas P. Ioanni Baptistæ Porro è carcere in hæc verba scripsit: *Abhinc diebus aliquot percrebuit rumor, viuos nos hoc anno crematum iri. Vnde fortè priùs exilio hoc meo absolutus abiero, quàm hæ meæ ad Reu. Vestram perferantur, quod certè quàm citissimè finiri cupio, vt ego quoq; finem faciam illius offendendi, cui tantum debeo. Ceterùm vale mi Pater charissime, dum inter nos visamus in Monte sancto, nisi mea me peccata tam insigni occasione intercludant.* Alteris item, quas responsi loco eidem Patri scripsit, sic loquitur: *Ternas à Reu. Vestra accepi, è quibus cùm vestrum in me amorem, tum mei in carcerem comitandi studium intelligo; sed fallitur vehemẽter, dum honestiùs de peccatore hoc miserrimo opinatur: qui peccator tantus sum, non quidem defectu cælestis gratiæ, quam affatim mihi dari sentio, sed quia eâ minùs quàm decet proficio; neque tempore vtor, quod,*

quod, vt morti me parem, conceſſum mihi eſt. Nihil in me boni deprehendo, præter voluntatem multa pro DEO *patiendi auidam, factamq; ad omnem eius nutum, ſeu centum annis velit hoc me carcere afflictari, ſeu in exilium extra Iaponem expelli. Id vnum cruciat, quòd vitam mihi ſentiam prorogari, quâ perpetuò (quæ mea calamitas eſt)* DEVM *offendo; mortemq; expeto, vt finem aliquando faciam illius exaſperandi: ſperóque deprecationibus R. V. & aliorum, aut crucem impetraturum, aut ardentem pyram.* Quæ verba arguunt ſummam voluntatis ipſius cum diuinâ conſpirationem, quâ promptum ſe quoque oſtendebat ad vertendum ſolum, inſulaſque eas deſerendas, ſi ita fuiſſet Numini viſum, quantumuis magno moriendi pro Chriſto deſiderio teneretur. Inuicta verò illius in ferendis cuſtodiæ incommodis patientia, & conſtans ille in tormentis tolerandis animus, vnoque ſemper tenore, velut ad exſorbendas acerbitates recens, longè maximam facit admirationem. Iaponius quidam ei in cuſtodiâ ſocius Petrus Sampo, qui deinde, auctoritate Præpoſiti Prouincialis, in Societatem à Carolo eſt adlectus, eodemque die viuus igne interemptus, vnis ſuis litteris affirmat, non nouiſſe ſe hominem illuſtrioris tolerantiæ, aut acrioris in ſe ſeueritatis; adeoque continuatæ non vno biniſve menſibus,

ſed

sed quadriennij ferè spatio, planè vt vehementissimè miraretur, quomodo, alacritate tantâ, dura omnia superaret, fingeretq; se tam aptè ad tot hominum ingenium, vestitu, patriâ, sententijs quoq; non rarò dissidentium. Quâ patiendi diuturnitate ac violentiâ, adeò Carolus erat exhaustus, atque à pristinâ specie deiectus, vt mortuo quàm viuo propinquior videretur, vixque vultum eius nossent, cùm columnæ alligaretur, qui aliàs eum norant, eoque fuerant in agendo vsi. Ipse certè, perinde ac si leuissimæ essent, ita de molestijs vexationibusque suis scripsit epistolâ quadam 5. Decemb. 1619. ad P. Sabatinum de Vrsis, degentem Macai: *Iam ad finem propero anni primi tyrocinij mei, quod in hoc carcere exerceo, conceptaq; spe Professionis, quam in cælo nobis Dominus paratam ostentat, multos annos recipiam, minimi ducens quæcumque tuli, optans etiam multò acerbiora.* Hanc ob rem, molestijs carceris voluntarias insuper addebat pœnas, & in summâ victus parcitate, plures etiam per hebdomadam dies inediâ exigebat: nisi potiùs hanc Caroli vitam, perpetuum annorum aliquot ieiunium appellemus: siquidem in litteris eius ad P. Christophorum Foreira, id temporis Iaponicæ Prouinciæ Procuratorem, reperio hæc verba: *Victito scutellis duabus orizæ aquâ coctæ, vnâ manè, alterâ sub noctem:* quæ

quæ verba de ijs diebus accipienda sunt, quibus adhibebat cœnam. Adhæc cilicio ferè continenter induebatur, flagellaque ac setaceas penulas, quæ vsu atterebat, idemtidem noua à prædicto Patre, per litteras, submitti flagitabat; demptisque diebus Festis, quotidie se flagro verberabat cum Socijs, quorum sancto contubernio vtebatur, delato ad vnum aliquem, alternis hebdomadis, imperio ceterorum; cuius tum erat munus, quæ exercitia obeunda essent, hunc in modum partiri. Manè post horam piæ meditationi impensam, Sacerdos quilibet Sacro operabatur. Reliquum temporis, prandio tenus, Canonicis, vt vocant, Horarum precibus recitandis, voluendis rosariæ Coronæ sphærulis, ac sacris libris legendis transigebatur. A prandio, postquam bonis nonnihil colloquijs concessum esset, libri precesque repetebantur. Cœnæ prę-mittebatur recitatio precum Matutinarum, & Officij quod vocant Mariani; adiunctis, si quando incidisset festus, Litanijs Hymnoque quo saluere Virginem vulgò inter orandum iubemus. Somnum quadrante præibat examen, quo in suam quisque conscientiam quę-rebat, mox simul omnibus incumbentibus in sui verberationem. Narrat hæc ipse Carolus epistolâ quadam 18. Febr. anni 1620. ad P. Mutium Vitelleschum, Præsidem Societatis

ſummum, his verbis: *Pergimus eodem vti viuendi genere, variis religionis exercitijs dies noctesq; trahendo. Pſalmos ſubinde canimus, flagellationémque indies, niſi feſti ſint, adhibemus, paſti cæleſti epulo, quod vnicum ferè maximúmque ſupereſt ſolatium. Et ſanè peculiaris* DEI *cura fuit, res omnes faciendo Sacro neceſſarias inferri potuiſſe. Sacer hic panis animo corporíque vires ſubminiſtrat: cæleſte illud vinum accendit, inflammátque pectus, non modò vt exiguum videatur quidquid toleramus, verùm etiam vt plures appetamus labores cruciatúſque, donec millies vitam illius impendamus obſequio, qui ſuam nobis tantâ liberalitate donauit. Vbi verò hoc noui Nangaſacho allatum eſt, viuos nos ignibus necatum iri; vt illi iam flammis aboliti erant, qui ſuis nos domibus texerant, omnium repentè ſe gaudium feruorq; prodidêre. Fieri quoque poteſt, vt per ſubitam Toni Omurenſis ſine liberis extincti mortem, collato in alium quempiam Ethnicum Magiſtratu, trucidari iubeamur; vt noſtri nempe cuſtodiendi ſe curâ leuent. Ac quoniam paulatim me vires debilitatæ deficiunt, veróque ſimilius eſt, vitam non ſuppeditaturam, dum iterùm Admodum R. P. V. ſcribam, hoc amplius, quòd etiam, dum hæc ſcribo, adfertur Nangaſacho rumor tyrannidis, in eius loci Chriſtianos excitatæ, quæ poſtquam deſæuierit, perſuaſum habeo, in*

caput

caput noſtrum eſſe recaſuram. Iubeo valere Paternitatem veſtram, dum in cælo reuiſamus; ſuppléxque, quàm poſſum demiſſiſſimè, eius comprecationem expoſco obteſtórque, ne, dum ad aram facit, immemor ſit pauperculi huius, qui amore Chriſti iacet in cuſtodiam detruſus: quin iubeat, Patres Fratréſque Societatis reliquos me Numini commendare, vt ego illorum omnium (ſingillatímque Paternitatis veſtræ) quotidie in Sacris memor ſum. Ad hæc prætereà ſæpiùs, (coronæ eius nimirum perornandæ) grauiſſimis valetudinibus defunctus, in extremum vitæ diſcrimen frequentiſſimè eſt coniectus; ſic tamen, vt tantum ſupereſſet vitæ, quantum ſufficeret ad percipiendum doloris ſenſum (quemadmodum de lethali quodam morbo ſuo loquitur Baſilius:) quibus in morbis, non rarò aliorum Religioſorum manibus, ad ſupremæ certamen luctæ, piaculari Oleo eſt perunctus; DEO tamen perpetuò eum ſeruante, reddenteque ſubinde abſolutam virium integritatem, ſupra ſpem omnem opis humanæ. Sic ijs ipſis ad Generalem Præpoſitum litteris de vno morborum ſuorum loquitur: *Ad 12. Septembris acris me febris corripuit, tenuítque in quartum Nouembris, dum S. Caroli deprecatione, nullâ arte Medici, aut ope medicinæ, ſanitati redditus ſum. Et per id quidem tempus, cùm cuncti me ſemel iterumq;*

in depositis haberent, ego vel hoc nomine lætissimus, vix me præ gaudio capiebam, quòd desperato omni humano præsidio, adesse ad tanuam Dominum, atque opperiri me, cogitarem. Hucusque eius verba. Hisce omnibus molestiarum acerbitatibus doloribusque, quos diuturnitas conciliabat morborum, sæuitia satellitum accedebat, qui adeò se inexorabiles hoc tempore præstabant, vt nec aquæ tantillum, extra prandij cœnæque communis vices, importari sinerent, quo febrium flagrantium ardores æger mitigaret. Ille tamen, per summam illam omnis solatij humani inopiam, eâ fruebatur animi voluptate, quam abditam misericordiæ suæ thesauris DEVS seruare consueuit, illisque impertiri, qui eum scilicet impensè amant, & lubenter amore eius aduersa perpetiuntur. Id quod geminarum litterarum subiectis exemplis apparet; quarum prioribus ad P. Ioannem Baptistam Porro datis, prius anno quàm moreretur, sic ait: *Mense Augusto certis auctoribus accepimus, dixisse Gonzaguum, viuos nos Septembri primo cremandos esse; qui noui nuntij quantum nobis fecerint alacritatis, Reu. vestra proponere sibi facilè potest. Deinde tamen, litteris aliorum moniti sumus, non ita certum eum rumorem esse. Certè tamen ignium vice, egregium tertianæ ardorem, in tribus nostrûm Domino placuit excitare. Ego, qui reliquis*

quis eram debilior, ipso caloris impetu (qui frigoris horrorem excipiebat) vehementer afflictus iacui. Sed eodem illo tempore insolitis à DEO *consolationibus recreatus, colloquijs cum diuinâ Maiestate institutis, dolores leniui.* Paria ferè repetit alteris ad Iaponiæ Prouincialem. *Non aliò*, ait, *has scribo, quàm vt me humanitatis officijs aduersus Reu. vestram exsoluam; nam grauis me febris simul cum alui stomachiq; solutione corripuit, planè vt septimo accessionis die, pulsum intermitterent venæ; putarémque, communis vrbanitate officij, apud alios Patres mihi esse defungendum. Mox cùm arteriam pulsus denuò concitaret, aluus iterùm laxata est; iamq; continens ita durat febris, vt lentè exhauriar & contabescam. Lætus morior, nec vmquam aliàs tantam animo percepi hilaritatem. Benè mihi Reu. vestra precetur, offensáque condonet.* Non his quæ patiebatur contentus Pater, aut per angustias carceris, aut per vltroneas, quibus se macerabat, pœnas, aut crebras duraſque inualetudines, quibus eum DEVS exercebat; amplius etiam omnes delicias respuebat atque auersabatur; rogans per litteras Iaponiæ Procuratorem, *ne quid sibi mitteret carnium, aliarúmve esculentarum cupediarum:* (hæc autem id temporis scripsit, quando, conniuente indulgentiâ quorumdam satellitum Christianorum, res dono missæ ad

captiuos penetrabant) teſtatus id admodum ſibi moleſtum fore, qui patientiæ nempe meritis inhiabat; optabatque quàm accuratiſſimè comparatus mori. Si tamen (quod farò admodum eueniebat) eſculenti quidpiam ſaccaro conditi, aliquis illi è Iaponibus amicus ſubmitteret, ipſe, vt appetentiam frangeret, inguſtatũ familiaribus partiebatur. Contrà verò, quando, mutatis excubijs, noui vigiles ſubiecti fuêre Præfecturæ duorum, alterius Ethnici, alterius Apoſtatæ, qui munus ſuum ſeueriſſimè adminiſtrantes, rem nullam perferri ad captiuos ſinebant; experiebatur ſcilicet Carolus nouam animi hilaritatem, patiendi nouâ materiâ excitatam. quâ de re ſic ſcribit P. Ioanni Baptiſtæ Porro: *Iam multi dies ſunt, ex quo, præter orizam aquâ coctam, nihil edulium habemus; prorſus vt in veteris inediæ modum ſimus redacti, vnde & antiquæ redit hilaritatis iucunditas; nam reuerà tanta ad carcerem anteà ſubmittebatur munuſculorum copia, vt iam non carcer captiuorum pro Chriſto videretur, quod mihi admodum diſplicebat.* DEVM *laudo veneróque (cui gratias indies reddo) quòd dignum me duxerit, vt hac re quoque patientiam illi meam probarem. Pergam interea laborare, dum venerit decretæ mihi horæ tempus.* Vna tamen res grauis ei accidit, tot inter cruciatus; nimirum quòd viribus defectus,

fectus,ob capitis debilitatem,non iam quâ solebat contentione ac nisu, aut animum colligere, aut mentem cum DEO astringere, cælestes inter meditationes valeret. Quamquam & hoc ipsum, nouam lætandi materiam suggerebat,cùm deprehenderet, *velocem fore depositionem tabernaculi sui*; illudque iam tempus appetere (pro eâ quâ diuinitus fulciebatur spe) quando in cælesti viuentium terrâ cantaturus esset, immortali cum gaudio, Canticũ illud sempiternæ iucunditatis, numquam interrumpendum. Absoluam hoc Caput, postquam litteras vnas attexuero, quas misit Maxæmiliano Spinolæ, cognato suo, plenas feruore cælestibusq; flammis. Iis sanè, dum captiuitatis suæ ordinẽ ceterasq; res narrat,apertissimè omnium oculis prodit, quanta fuerit pectoris sui exultatio, qualis tot inter incõmoditates constantia vitæ. *Scripsi*, inquit, *subinde superioribus annis ad patruos nostros; sed cùm nihil abstulerim responsi,porrò officium deserui,sat fore ratus, si scriberem aut Præposito Prouinciæ Mediolanensis, aut Rectori Collegij Genuensis, vt de me nuntios parentibus referrent. Tamen quia per litteras mihi indicauit P. Petrus Morigione, qui hinc Romam profectus est, & Pater Nicolaus Spinola, te iam Comitem esse Tassarolensem, defuncto Comite Augustino; neq; alium superesse quàm Ferdinandum (cuius*

huc litteræ superiore anno perlatæ sunt) committere nolui, quin singularis beneficij, quod in me DEVS contulit, te quoque compotem facerem, cuius iam fortè ad te peruenerit rumor; nempe in carcere me esse, ob promulgatam fidem; quò abreptus sum, post medium noctis quæ antecessit 14. Decembris anni 1618. Ac postquam in extremum vsque Iulium anni 1619. vnà cum Sodalibus stramineo tuguriolo, non adeò incommodo, sudibus satellitibusq; munito incluſus latuissem, in hanc nos arctiorem custodiam compegerunt, longam non amplius palmos quaternos & vicenos, latam senos denos; instar auiariæ cortis, recèns fabricatam, sudibus crassis & quadratis; obiectam quidem ventis imbribúsque, sed diuinâ defensione tutam. Octoni iam hîc detinemur Religiosi; ex Ordine S. Dominici quaterni; quorum vnus est patriâ Lucensis, Angelus Orsuccius: terni è Familiâ Minorum; egóque è Societate IESV solus, ex quo ad Superos abijt Frater Ambrosius Fernandez Lusitanus, qui mecum captus, frigore deinde incommoditatibúsque extinctus est 7. Ian. anni præcedentis; quindecim præterea à Iapones, partem Catechista, partem serui. Ego multa sanè sustinui, cùm loci iniquitate, tum angustiâ victûs. Bis grauem in morbum incidi; sæpiúsque existimaui me solâ debilitate virium extinctum iri; sed vitam mihi Dominus prorogauit, vt plura in eius obse-

quio

quio tolerarem. Initiò rumor erat, Chinam versus, aut in Philippinas nos esse nauibus relegandos; at postquam nouus hic carcer ædificatus est, aiebant, diuturnæ custodiæ sordibus esse conficiendos: nolle nimirum se nos occidere, quòd videant ardere nobis animos, vt fidem sanguine sanciamus. Nec intelligunt, sic longiore nos supplicio, quamuis illustriore, excruciari. Ecquis scit etiam, vbi senserit Rex, non modò non contabescere nos, sed lætos quoque viuere, carceremq; hunc nostrum Iaponiam vniuersam accendere, tamquam facibus quibusdam concionum, non iussurum vt de medio tollamur? Intereà dies noctesq; sacris exercitijs colimus animos, corporaq; flagellationibus, cilicijs, & alijs id genus asperitatibus subiugamus: quodq; præcipuum solatij est, ad aram quotidie facimus. Et singulari profectò DEI prouidentiâ factũ est, vt clam custodibus, vestes, ceteraq; supellex sacra inferrentur, quibus initiò per menses aliquot destituti, cælesti illo Angelorum pane non licuit recreari. Ego peculiari DEI beneficio lætissimus ago, qui compotem illius me desiderij fecit, quo potissimùm in hæc loca impulsus veni; maioríque id duco, dignitatum omnium caducarum splendore. Neque iniuriâ; quando Apostolus Paulus, ex quo semel in custodiâ fuerat, ampliùs catenarum vinculorumq; gloriâ triumpharit, quàm ipso suo Apostolatu, appellans se vinctum in Domino.

Et erubesco sanè, meiq; me pudet, cùm reputo, tam exigua, aut potiùs nulla mea esse merita, quibus gratiam tantam assecutus sum: dúmque iterùm cogito, tot inter Patres, innocentissimæ sanctissimæq; vitæ viros, (qui vineam hanc sudore tanto coluêre) DEVM *oculos ad me adiecisse, naturæ ornamentis, meritisq; omnium postremum. Sed rursum me illa Pauli verba solantur, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis* DEI. *Et vidimus certè frequenter, negatam hanc à diuinâ Maiestate gratiam viris eximiâ sanctitate claris, qui eam votis omnibus expetebant; concessam verò subinde facinorosis; vt intelligatur, non nisi cælesti priuilegio obtineri posse, neque nostris esse benefactis assignandam. Hæc tibi indicata volui, & per te cognatis reliquis, vt gratulentur sibi felicitate consanguinei sui pro Christo capti, iamq; ad supplicium destinati. Quia nempe (quæ captiuitatis meæ causa est) excedere Iaponiâ nolui, consentientibus Moderatoribus meis vt manerem, iubente Rege vt Religiosi omnes abirent; quodq; remanens Christianorum mores excolui, nouos insuper Christianos colligens, auxilio aliorum è Societate Patrum, aliisq; ex Ordinibus Religiosorum. Vt* DEO *etiam gratias referant, eóq; Sacra facienda procurent, impetrentque illius mihi decoris gloriam, ne viuus ex hac custodiâ ducar, nisi ad crucem aut rogum. Aestiment maioris quoque*

(vti

(vti par est) hoc decus, splendore cuiuscumque dignitatis, Nobilitatis aut fortunarum, quibus pollent; quas si non honestet morum vitæq; probitas, obseruantiáque diuinæ legis, aut si eas tam cumulatè à DEO acceptas, non elargiantur liberaliter egentibus, aut Religiosis; magnum saluti eorum adferunt impedimentum. Recordentur prætereà, quanta vitæ huius instabilitas, quanta è diuerso certitudo mortis, quæ inopinantes omnibus mundi huius exuet bonis, nihil præter virtutem secum ablaturos: cùm nempe intellecturi primùm sunt, quantum sit pretium laborum, molestiarúmque pro DEO perpessarum. Quas res multi, qui diuinitus affusâ sibi luce æstimarunt, inuictâ animi magnitudine Nobilitatem, opes, dignitates, libertatem, Regna, adeóque Imperia ipsa contempsêre: occultíque, aut desertis locis, aut claustris Religiosarum Familiarum abditi, ætatem per summam victûs austeritatem terentes, meditandâ Christi Seruatoris vitâ ac nece, mores suos ad illius humilitatem inopiámque perpetuam exegerunt. O Domini mei! si modò earum deliciarum sensum perciperetis, quas dulcissimus IESVS ijs impertitur, qui ei seruiunt, aut amore illius cruciatus ferunt; cognosceretis manifestè, quàm fallaces sint eæ voluptates (quas promittit quidem mundus, sed dare reuerà non valet;) cùm neque explere possint vastitatem illam animi,

solius

solius DEI *capacem. Ego qui affirmare possum, iam incipere me fieri Discipulum Christi, inter dolores maximos, summámque carceris angustiam, etiamtum cùm fame solâ exhauriri vires sentirem, tam liquidis semper consolationum voluptatibus recreatus sum, vt præclarè remuneratam putem omnem, quam in diuino obsequio molestiam tuli. Atque etiamsi in hac mihi custodiâ per annos multos iacendum esset, perexiguum sanè id mihi tempus videretur, præ magnitudine desiderij, quo pati per illius amorem cupio, qui tam prolixè compensat huius etiam vitæ labores, ipsósque cruciatus dulces efficit & appetendos. Quamquam præcipua ei seruiendi causa, ille ipse nobis esse debet, qui fons est omnis bonitatis, dignúsque cui vel sine vllâ præmij spe, officia studiáque omnia consecrentur. Inter morbos varios, quibus exercita mihi valetudo fuit, febris continens, eáque perniciosa, aliquando me inuasit, vexauitque centenos omnino dies, humanis remedijs omnibus, cibóque ægritudini necessario destitutum, plane vt ego ipse, ceteríque de me diffiderent. Eo ipso tamen tempore non capiebat lætitiam pectoris mei angustia, quantam numquam scilicet aliàs expertum me memineram, sic vt præ hilaritate gestirem, videreréque cæli limen introire. Si igitur his in terris sic* DEVS *seruorum suorum mœrores solatur; quæ putabimus fore*

solatia,

solatia, quas illas delicias, quas parauit in cælis, vbi proprius est remunerandi locus? Seruiamus ergo, Domini mei, tam bono, tam clementi DEO, *neque difficile iudicemus frenare feroces animi motus, aut corpus afflictare; certi, si cum Christo hîc patiamur, cum illo quoque æternùm regnaturos in cælo, quò nemo nisi dura passus pertingit. Cõmendo me plurimum Dominus Ferdinando & Alexandro Spinolis, filiabus præterea à Domini Fabricij defuncti, reliquísque consanguineis: atque his omnes valere iubeo, patriámque meam, quòd adeò debilitatum me sentiam, vt dubitem, an in alterum scribendi tempus superfuturus sim. Omnium quotidie mihi memoriam propono cùm ad aram facio, aut preces fundo: neque porrò obliuiscar, si aditu cælestis illius Ierusalem me* DEVS *fuerit dignatus. Valete, valete, dum in cælo nos reuisamus. Ex carcere hoc Omurano 28. Febr. 1621.*

Carolus incarceratus
pro Fide Christi.

CAPVT XVI.

Iter Caroli Firandum versus, & reditus.

HOLLANDI Angliáque piratæ, qui anno 1619. infesta habebant (quæ Iaponem vsque pertinent) Indiarum maria, nauem

uem vnam Iaponicam, quæ huc è Philippinis ſoluerat, interceperunt. Hac Hiſpani duo, ſæculari viatorum cultu, vehebantur. Angli, ſiue per indicium, ſiue per coniecturam, Religioſos eos eſſe (vt reuerà erant) fuêre ſuſpicati. Eorum vni è S. Dominici Familiâ nomen erat P. F. Ludouico Flores; alteri, P.F. Petro de Zugnicâ, ex Ordine S. Auguſtini. Hos cepêre ſcilicet, vt venditarent, non tam cupiditate merciũ raptam abs ſe eſſe nauim, quàm ſtudio venerationeque Imperatoriorum edictorum in Sacerdotes & Religioſos, qui Iaponem ingredi non vererentur; captoque Firandenſi portu, eos dedidêre Gubernatori, vnà cum Ioachimo naui Præfecto. Nangaſachenſis vrbis Adminiſtrator, accepto nuntio perculſus, verituſque ne malè ſibi verteret, quòd ea nauis portum ditionis ſuæ cepiſſet, ſi conſtaret nempe Religioſos illos eſſe; quanto potuit ſtudio contendit, duos illos captiuos non eſſe Religioſos, id etiam litteris ad Imperatorem ſcriptis aſſeuerans. Contrà Hollandi, vt naualis furti ſe culpâ liberarent apud Iapones (quorum ambire velle amicitiam videri cupiebant) conſtanter aſſerere, duos illos exteros & Hiſpanos & Religioſos Sacerdotes eſſe; adueniſſeque, obtentu quidem Religionis propagandæ, re autem, ad ſpeculandas inſulas eius Regionis. Hoc ſtatu cùm res eſſent,

Reli-

Religiosi intelligentes præclarissimam sibi occasionem offerri, capitis pro fide obijciendi (si nimirum aperuissent sese) id facere scilicet omnino cupiebant; & Sacerdotes ac Religiosos sese profiteri, vt iam principiò Christianos se esse indicarant. At vna obstabat res, communi charitate nixa; studium nempe eripiendi è vitæ periculo Ioachimum nauarchum, qui suâ eos vexerat naui: quippe cùm capite sanxisset Imperator, ne quis Iapon Sacerdotem aut Religiosum finibus inueheret Regni. Id ergo agitabant, vt absq; Ioachimi incommodo se patefacerent quales essent. Ex aduerso Iapones atque Angli, vt rei veritatem explorarent, vocandos Firandum censuerunt quosdam ex ijs Religiosis qui Omuræ in custodiâ tenebantur; à quibus scilicet illos cognitum iri, aperiendamque simul veritatem exspectabant. Ita prorsus quàm citissimè facta omnia; planè vt (quemadmodum ipse Carolus indicat litteris 23. Nouembris ad Iaponiæ Præpositum Prouincialem scriptis) vespere à cœnâ in vigiliarum stationem euocati sint P. Franciscus Morales, Familiâ Dominicanus, & P. Petrus Auila, Domo Franciscanus, cum P. Carolo; quibus, Firandum vt irent, fuit imperatum, itinere milliarium ferè nonaginta. Orantibus vt vestes, aut stratum, ad defendenda frigora, pro duriore

riore anni tempestate, secum auferre possent, miles recusauit; sic vt seminudi, maligneque vestiti, à Sodalibus fuerint abstracti. vnde conscensis nauigijs, quà nauigando, quà hærendo ad munimentum quoddam, mari præsidio positum, noctem consumpserunt. Initio profectionis, vincti in angustum nauis angulum compacti sunt, vt vix mouere se possent; nec alio quàm cælesti defensi tecto; nam cubiculum occuparant Toni ipsius duo administri, qui reliquo cum satellitio eos comitabantur. Nocte diem alterum insecutâ, Firandum peruenêre: ibi casa exigua (haud procul castello quod Præfectus incolebat, longitudine plateæ vnius) pro carcere eis data est, adiunctique à Gubernatore milites noui veteribus illis, quibuscum discesserant Omurâ. Ad 25. Nouembris, post meridiem, tres simul à Præfecto in castellum suum euocati, præsentibus Firandensi Tono, Gonrocuo Nangasachi Præside, Feizo & Xacuemone viris duobus præcipuis, sed desertoribus Religionis. Aderant præterea nonnulli Lusitani, Angliique illi qui interceperant nauem. Egressi tuguriolo suo Religiosi tres, vinculis constricti, talari tunicâ, sed tritâ ac semilacerâ, induti, barbâ capilloque promissis, macilenti, pallidi, viuorum instar cadauerum, ob diuturnam famem, aliasque custodiæ asperitates;

specta-

ſpectaculum, quo non Chriſtiani modò, verùm etiam Barbari, ad miſerationem promouerentur: tranſeuntes eos, Chriſtiani ſalutabant, varijſque venerationis indicijs, mœroris ſui ſenſum teſtabantur. In planicie, quæ præ caſtello iacet, eorum aduentum Luſitani opperiebantur, vnuſque in ijs longè præcipuus Ludouicus Figueredo, ad felices ſe captiuorum pedes abiecit, religioſiſſimo officio, vincula illa catenis aureis præſtantiora veneratus. Palatium ingreſſi, ſubſtitêre in procætone, exſpectantes dum litigatores conuenirent. Mox in cubiculum introductis, adiuncti ſunt duo Religioſi captiui. Interrogatur Carolus, *an noſſet duos illos Hiſpanos*; reſpondit, *quia iam dudum ipſe in Iaponiâ habitaſſet, numquam antehac vidiſſe*. Tum arroganter Feizo excipit: *Potéſtne quiſpiam aut Religioſus aut Sacerdos negare ſe talem eſſe?* Carolus, animaduerſo quòd ita loqueretur Feizo, quia nempe non intelligeret diſcrimen quod intereſt inter Sacerdotem aut Chriſtianum; breuiter rem explicans, oſtendit, fieri ſubinde poſſe, vt quis Chriſtianum ſe profiteri deberet, non autem protinus Sacerdotem aut Religioſum. Anglus vultuosè ſubiecit: *Ita habet; neque aliter in Angliâ fit quotidie: qui Sacerdotes ſunt, eſſe inficiantur, metu ſupplicij, quod haud dubiè, ſi faterentur, eis immineret.* Contrà Carolus ſanctâ

quadam licentiâ vſus, verum eſſe negat, allatoque in rem exemplo ſuo, *Ego*, inquit, *cùm è nauigatione ab Anglo piratâ retractus ſum, & Sacerdotem & Religioſum Societatis* IESV *me eſſe edixi, etſi non ignarus odij, quo vos hæretici in nos ardeatis, certúſque periculi ob confeſſionem mihi impendentis. Et ſcio multos Societatis noſtræ viros ita publicè in Angliâ locutos, qui & vitam huic cauſæ lubenter impenderunt.* Nominatim verò teſtes etiam quoſdam citabat, verſuſque ad Gonrocuum, aiebat: *Quantum quidem ad eius rei veritatem attineret, plus ab eo fidei adhiberi deberi ijs rebus, quas ipſe Nangaſachi ſæpiùs vſu ipſo didicerat (vbi nemo id negaret) quàm ſimplici vnius Angli hominis affirmationi.* Hoc dicto, hæreticus acquieuit; moxque Religioſi terni dimiſſi ſunt, quorum duo affirmarant, ſe Hiſpanos illos non nouiſſe. Carolus in diſceſſu Feizo propiùs acceſſit, auiduſque hominis ab errore in viam reducendi, orabat, *ne pauca grauaretur audire verba, quæ dicenda haberet.* Excuſauit Feizo, cauſatus, morari ſe non poſſe; quamobrem coactus eſt Carolus breuiter & curſim memoriam illi refricare illius temporis, quo deſertâ idolorum ſuperſtitione, clarè adeò Euangelicam lucem aſpiciebat: quare reputaret ſecum rationes ſuas, cogitaretque, quàm incerta hæc vita, quàm graues ei imminerent

cæle-

cæleſtium irarum minæ, niſi facti ſui pœniteret, deſineretque eos tantâ crudelitate perſequi, quorum ipſe Religionem aliquando fuiſſet amplexus. Expalluit nimirum his verborum aculeis Feizo, nulloque facto verbo, pudibundè diſceſſit, neque deinceps apparuit. Tum Ludouicus Figueredo facultatem à Gonrocuo petijt, Caroli, duorumque ſociorum, ad menſam domi ſuæ adhibendi; veſtes inſuper ſubminiſtrandi, mittendi res alias neceſſarias in carcerem Omuranum. Haud grauatè Gonrocuus condonauit omnia rogantis humanitati, motus pietate naturæ, cùm ſummam illam neceſſitatem intueretur, in quam redacti erant pugiles Chriſti. Quo cognito, Luſitani, ſanctâ quadam pro ſe quiſque æmulatione certabant, ad veſtes ceteraſque neceſſarias res ſubmittendas duobus & triginta captiuis, quot tum carcere Omurano tenebantur. Scire tamen voluit Feizo, quantum captis Luſitani largirentur; neque plus pauculis veſtimentis importari conceſſit. Ac quantumuis Ludouicus eum obteſtaretur genibus flexis, flecti tamen barbari hominis durities nequijt, vt præſentem captorum inopiam æſtimaret: indicans haud obſcurè, qui fidem DEO fefelliſſet, Chriſtoque per apoſtaſiam ſeſe exuiſſet, ſimul omnem abieciſſe manſuetudinem clementiamque. Denuò

nocte diem 28. sequente, in castellum reducti sunt, vt iureiurando affirmarent, duos illos Hispanos, Religiosos non esse. Abnuerunt singuli, Religiosorum morem causati, qui similibus in causis iuramento obligari non possent. Festo S. Andreæ, actum cum altero duorum Religiosorum, qui propior erat deprehensionis periculo, ob singularia quædam indicia; eoque petente (qui prodere se nempe quàm auidissimè cupiebat) adhibuêre quantum potuêre conatûs, apud Tonum Firandensem & Gonrocuum, vt Ioachimus nauigio præfectus dimitteretur, eiusq; capiti caueretur, quod tamen studium declarare ei noluerunt. Tres igitur simul primùm in eamdem casam, deinde ad veterem Omuræ carcerem sunt reducti, re nullâ aliâ decretâ. Optabat, per id tempus, quàm maximè Carolus nonnullos Firandi alloqui, sed custodum rigidissima pertinacia impediuit. Non tamen defuit exercendæ patientiæ materia; scripsit namque ipse, grauissimo se catarrho (quo reliquâ hieme vexabatur) obrutum fuisse; quia in itinere, & Firandi, longissimo tempore caput operire non licuisset, aduersus cæli grauitatem, laudans perpetuò DEVM pro gratiâ, quâ cumulatè adeò donaretur.

CAPVT

CAPVT XVII.

Damnatur Carolus vt viuus comburatur.

DESPERATA iam liberatione Ioachimi naucleri sui, indicare sese qui essent, duo illi Religiosi decreuêre; adeoque liberè professi sunt, Religiosos se esse Ordinum duorum S. Dominici atque Augustini: missos, non vt insulas eas explorarent, sed aduectos voluntatę suâ, ad propagandam Christi fidem, ad collustrandos Euangelij luce indigenas; denique ad vitam suam impendendam Religioni, si necesse foret. Accendit nimirum tam libera confessio iram Gonrocui, qui intelligebat læsum iri existimationem suam, si iam apud Imperatorem negaret, quæ pro certis atque exploratis, tanto anteà tempore, constantissimè affirmarat. Coactus igitur ad Regiam proficisci, vt quo ordine res gestæ essent, explicaret; iussit vtrumque Religiosum, vnà cum Ioachimo, in Iquinoximâ (haud longè Firando abest insula) fido satellitio custodiri, donec aut ipse reuerteretur, aut voluntatem indicaret Imperatoris. Nautæ non fuêre custodiæ inclusi, sed iusiurandum tantùm adacti, quoties citarentur, se in iure stituros Gubernatori. Appulsus in Regiam Gon-

rocuus, primâ datâ auſcultatione, quæ geſta erant, expoſuit. Imperator rerum ſerie auditâ, in tantum exarſit iræ, vt prẹter morem in huiuſmodi verba erumperet, *Eáne audaciâ reperiri homines, qui grauiſsimis proſcripti decretis, in Regna tamẽ noſtra irrepant, quorum ingreſſu ſeuerè adeò eſt eis interdictum? & Iapones quidem eſſe quorum ope inuehãtur? Ecquid prætereà ſupereſſet, niſi vt Imperium ipſum aliquando inuadant?* Mox etiam excanduit grauiùs, cùm Firando allatum eſt, repertum eâ audaciâ fuiſſe Chriſtianum, qui ſuffractâ cuſtodiâ, alterum illorum Religioſorum eripuiſſet. Ac quamuis initiò feliciter euenisſet fuga, deinde tamen, cuſtodum diligentiâ, in carcerem, vnde fugerat, retractus eſt. Has ergo ob res quaſi in rabiem actus, ſic Gonrocuo reſpondit: *In te omnis hæc recidit culpa; adeóque, ſi alteri cuipiam id negotij dediſſem, iam nullus Iaponiâ totâ ſupereſſet Septemtrionalis Bonzius* (ſic Europæos Religioſos appellant) *qui Regnum hoc meum perturbaret præconio legis, tam contrariæ ſectis Iaponiorum; ſed quia negligenter inuigilas ijs quæ aliunde inuehuntur nauibus, quotidie noua Sacrificulorum portenta in has inſulas irrepunt, vti hoc duorum exemplo eſt manifeſtum, qui tales ſe iam ſunt profeſsi. Redi ergo primò quoque tempore Nangaſachum, & duos illos Religioſos, vnà cum Ioachimo (qui ſuâ eos*

naui

naui aduexit) viuos concremato. Eodem ſupplicio ceteros multato, quotquot reperies Sacerdotes aut Religioſos, ſeu Europæi fuerint, ſeu Iaponij; eorum etiam hoſpitibus trucidatis, quos vinctos in cuſtodiâ habueris. Adminiſtros præterea omnes, nautas, peregrinos Chriſtianos, quotquot eâ naue aduecti fuerint; vxores denique eorum qui Euangelij præcones domi ſuæ exceperint, capite obtruncato; ne ſeruatis quidem eorum liberis, quacumque fuerint ætate, aut præteritis Chriſtianis, qui vicinas eorum habitauerint ædes. Eidem porrò pœnæ eorum coniuges liberóſque ſubijcio, qui aut à triennio pro Chriſtianâ fide fuerint occiſi, aut etiamnum in cuſtodiâ ob eamdem cauſam retinentur. Tu verò hoc age in poſterum, quantâ maximâ poteris diligentiâ, vt Religioſos illos deprehendas, qui occulti in Iaponiâ latent, & occurras, velim, ne quis deinceps nouus irrepat; ſi quid verò culpâ tuâ fuerit turbatum, pœnas mihi capite dabis. Hæc pronuntiata fuit à Xonguno Imperatore ſententia, quâ damnatus Carolus, ceteriſque tot innocentes DEI ſerui, non aliâ re ad rogos gladioſque abrepti ſunt, quàm quòd Chriſti fidem retinerent: inſolito in id tempus crudelitatis exemplo, quâ paucorum dierum ſpatio, ad centum & viginti, pro Chriſti Religione victimæ fuêre immolatæ. His ergo cum mandatis dimiſſus ab Regiâ Gonro-

cuus,& Nangasachum redire iussus, (præterquam quòd esset reprehensionis asperitate accensus, minarumque duritie territus) ita redibat animo comparatus, vt nihil omnino remittere de seueritate imperij decreuisset, ad pœnæ sibi impendentis periculum declinandum. Ac licet naturâ suâ blandus humanusque esset, & multa superioribus temporibus dissimulasset; ita in præsentiâ ingenium moresque asperauit, vt quamprimùm Nangasachum atttigisset, duos illos Religiosos, cum Ioachimo, ex insulâ extractos adduci iusserit, nauis administros citauerit, vxores liberosq; eorum, qui aut fidem morte sanxerant, aut Religiosos hospitio acceperant, in vincula compegerit; eorum facultates fisco subiecerit, vt primo quoque tempore exitialis sententiæ decretum in eos exerceret. Mox viuos incendio cremare exorsus est ad 19. Augusti anni 1622. P. Ludouicum Flores Dominicanum, P. Petrum de Zugnicâ Augustinianum,& Ioachimum nauarchum; nautis præterea duodecim capite truncatis; qui omnes incredibili alacritate constantiaque, non minore gloriâ Religionis Christianæ, mortem pro eâ obiêre, vt luculentis narrationibus est publicatum. Fama interea edicti Imperatorij ad carcerem Omuranum rumore perlata est, in quo Carolus,totque alij perpetuis conflictati

flictati incommodis, optatissimæ coronæ suæ inhiabant. Haud facile est creditu, quantâ communiter hilaritate felices illi nuntij à captiuis auditi sint, qui exilij sui libertati propinqui, iam breuî per flammas in æternam erant refrigerationem discessuri. Atque vt omnino securi non essent felicitatis tantæ, mox tamen, audito duorum Religiosorum sociorumque supplicio, in certam venêre spem, breuî se omnes pari exitu absoluendos. Hinc Carolus statim amicos salutare litteris, quasi breuî è vita discessurus: quæ quia ardentes planè sunt, vltimæque quas scripsit, extremâ vitâ (cùm de intimo pectore loqui homines consueuimus) prætereundæ non fuêre. Primis igitur, quas responsi loco scripsit P. Ioanni Baëza Rectori Nangasachensi, à quo fuerat de Religiosorum duorum morte edoctus, sic loquitur: *Accepi schedulam Reu. vestræ scriptam 20. mensis currentis, quâ de morte duorum illorum Religiosorum certiorem me facit. Cedant, precor, omnia in laudem* DEI. *Quod ad nos attinet, iam dies aliquot sunt, cùm admoniti earum rerum sumus, quas Gonrocuus dixit Vcondono, vni ex Præsidibus Omuranis. Eò igitur animos comparamus; speróque de diuinâ bonitate, aliquando negotium nostrum concluſum iri. Malè admodum me habuit febris continua à 20. Iunij in Idus Iulias; abstu-*

litque quod reliquum erat virium, planè vt moriturum me opinarer; sed viuere me Dominus voluit, vt vnà cum alijs Sodalibus in holocaustum offerrer. Apparet eos certè iam inde ab extremo Iulio anni elapsi voluisse vt arctiùs constringeremur, vt fame incommodísque maioribus vexati, paulatim martyrio nos appararemus. Nescio cui felicem hunc successum acceptum referre debeam, nisi immensæ benignitati Domini mei, qui diuitias suas in seruo aliquo suo indigno (qualem me agnosco) patefacere vult, aut precibus Patrum, Fratrúmque Societatis. Quia autem vereor, defore qui meas in posterum perferat ad Reu. vestram, hisce valere eam iubeo, petóque veniam culparum mearum, obtestórque, vti me iuuet in reddendis pro tam insigni beneficio gratijs, simúlque mihi impetret à DEO *constantiam obeundæ mortis, dignam non degenere filio Societatis. P. Sebastianus ceteríque Fratres nostri, qui capti mecum detinentur, nouos illos nuntios summâ hilaritate acceperunt, comparántque pectus.* 26. *Augusti* 1622. Alteris, quas ad P. Prouincialem dedit, *Heri*, inquit optimus Pater, *insigni furore satellites in carcerem inopinatò inuolarunt. Credebamus, pro ijs quos acceperamus nuntijs, aut trucidatum nos iri, aut Nangasachum auehendos; sed mox intellectum, venisse vt numerum inirent captiuorum. Audiuimus*

felicem

felicem obitum eorum qui venêre Manilâ; puto nos breuî quoque incendio conflagraturos. In omnem casum (quæ DEI *gratia est) parati sumus, felicem illam horam exspectantes. Attonitum certè me habet immensa* DEI *bonitas ac clementia, quæ indignissimum mancipium tanti beneficij honore dignatur, quantum est, vitam pro eius amore ac nomine fundere. Neque eâ me cogitatione expedire valeo, quin illa Apostoli verba vsurpem: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis* DEI. *Quare existimo Sacrificijs Reu. vestræ, aliorúmque Patrum præcipuè eam gratiam exoratam esse: atque ita secundùm* DEI, *Virginísque, & aliorum Cælitum patrocinium, spero, illorum ope me illud quoque corporis animíq; robur impetraturum, vt supremum certamen obeam, pro dignitate sinceræ sobolis Societatis* IESV. *Videtur mihi* DEVS, *extremo hoc anno, instar boni Magistri Tyronum, ad mortem nos instituisse, permittendo, vt iam inde ab exeuntis anni mense Iulio, sæuiores aduersum nos existerent custodiæ, duplicandis excubijs, cibóque angustiùs admetiendo. quo in genere à bimestri duriùs atque vmquam aliàs habiti sumus; præterquam quòd amicorum etiam litteris (quæ solatio nobis maximo erant) carendum fuit. Diuinâ tamen indulgentiâ factum est, vt hostiæ ac vinum faciendis Sacris in carcerem perferrentur, vnico com-*

communium calamitatum leuamento. Cæterùm in hisce Reu. vestram valere iubeo, abiectúsque ad eius pedes, noxarum mearum veniam deprecor, præcipuè, quòd parum adeò profecerim, tot sanctissimorum præsidiorum auxilio, quot in carcere suppeditarunt, quadriennij spatio, ad perfectionem assequendam: petóque, suâ me cumulet apprecatione. Patres, Fratrésque omnes, quos vltimùm affectu maximo complexus sum, obsecro, vti me in referendis diuinæ Maiestati, pro tanto munere, gratijs adiuuent, impetrént-que constantiam ad vsque finem; præcipuè cùm vltimus morbus adeò vires mihi exhauserit, vt ægrè pedibus consistam. Si fortè ad P. Visitatorem scribere nequiuero, expleat quæso vices pro me Reu. V. etiam ad P. Generalem. Adiungo hisce binas thecas Reliquiarias, quibus continentur non parui ducenda Sanctorum monimenta; frustillum inprimis sacci, quo S. P. noster se induit initio suæ conuersionis, quod multis claruit perpetratis miraculis. Altera est lipsanotheca B. Aloysii Gonzagæ, quam misit mihi, qui modò Societati præsidet, Præpositus Generalis; cui insunt capilli aliquot Fratris nostri Ambrosii Fernandez. Mitto adhæc icones, quas habebam Breuiario meo insertas. Oro Reu. vestram vt eas partiatur inter Patres, Fratrésque, qui in Iaponiâ degunt, aut alios mihi Macai notos, vti ei videbitur. DEVS Reu. vestram incolumem seruet.

uet. Ego quidem, si ita me DEVS *amet, vt aliquando ad Montem sanctum pertingam, numquam obliuiscar prolixæ illius suæ aduersum me charitatis, aut Prouinciæ reliquæ, cui me deuinctissimum scio. 28. Augusti anni* 1622.

Carolus morte damnatus
pro nomine IESV.

Duobus abhinc diebus humanitatis quoque officio defungebatur aduersus P. Hieronymum Ruiz, Prouinciæ Chinensis & Iaponicæ Visitatorem, litteris hoc argumento scriptis: *Anno superiore litteras ad Reu. vestram dedi: ex eo tempore, ab extremo mensis Iulij, nonæ, quæ appositæ fuêre vigiliæ, angustiùs nos pressêrunt, respondité, asperitas victûs seueritati custodiarum. Prorsus vt aliud nihil in carcerem penetrarit, præter ea quæ Ludouici Figueredij liberalitate, è domo Gubernatoris Nangasachensis submissa sunt. A quo Ethnicus quidem, ergastulensi annonæ præfectus, peiùs quàm vmquam nos toto eo tempore habuit, defraudatâ etiam portione victûs, quam admetiri iubebatur. Totâ igitur hieme, dimicandum mihi cum asperrimâ fame viriúmque debilitate fuit, dum redirent calores. Eodem verò temporis tractu, cùm propter parcitatem insalubritatémque ciborum, tum propter incommoda reliqua, & ingentes loci angustias, quibus duo supra tricenos captiui includebantur, multorum affli-*

afflicta est valetudo, vt propè ab exitio abessent. Pater Sebastianus, ego, ceteriq; Fratres Tyrones, sæpiùs febribus & dolore stomachi sumus conflictati. Atque ego quidem à 20. Iunij elapsi, graui febrium ardore tentatus sum in 15. Iulij sequentis, quem lethalem fore mihi existimabam. Nullâ tamen medicinâ, aliísve, quàm vulgaribus custodiæ delicijs, mihi restitutus sum; sed neque præter pellem & ossa quidquam mihi corporis superest; neque pedibus stare vel breuissimo tempore valeo, in præsentem diem, absque graui vertigine capitis. In laudem DEI *vertant vniuersa, qui videtur seruare velle vniuersos, vt simul, sacrificij instar, omnes immolentur. A Festo B. P. N. Ignatij (ex quo scilicet Nangasachum rediit Gonrocuus) subitò duplicatæ fuêre excubiæ, quam rem initiò admirati, postea clariùs intelleximus, indicio litterarum quæ Nangasacho sunt allatæ, quibus scribebatur, Gonrocuum dixisse Vcondono Gubernatori Omurano (cùm eum visitaret) hoc tandem aliquando tempore carcerem se esse exinaniturum; eósque qui Firandi erant, breui quoque morituros. Pauco pòst tempore accepimus, 19. Augusti viuos incendio combustos esse duos illos Religiosos ab Hollandis captos, idémque supplicium nos manere. Qui nuntij Sabbato præterito confirmati sunt; Vcondono ex improuiso, multâ cum turbâ in carcerem, ad recen-*

recenſendos captiuos, veniente: quo indicio perſuaſum nobis fuit, negotium noſtrum breuî finem habiturum. Hanc ob rem quotidie nos paramus morti, exſpectamúſque illam vocem, Ecce ſponſus venit. Hac de causâ quoque ſupremo in Reu. veſtram officio defungi volui, vti facere optarem aduerſus reliquos Patres Fratréſque, niſi temporibus excluderer, lociq; iniuriâ prohiberer. adeóque neſcio an hæ in manus Reu. veſtræ venturæ ſint; tanta eſt cuſtodum imminentium vigilantia ne quidquam efferatur, inferatúrve. Equidem, quid dicam, ignoro; niſi quòd mirer infinitam DEI *clementiã, qui homini tam prauo (cuius tantus fuit perfectionis ſuæ procurandæ neglectus, inter tot Societatis noſtræ præſidia, tantaſq; quadriennalis captiuitatis occaſiones) tam inſigne voluerit conferre beneficium, vt pro eius ſanctiſſimo nomine concremarer. Quare quantas poſſum, ei gratias habeo, obteſtans Reu. veſtram, ceteroſq; Patres ac Fratres, vt iÿs reddendis me iuuent, aduolutuſq; eorum pedibus (quos oſculabundus complector) veniam peto meorum erratorum. Atque his, quàm arctiſſimè complexus ſingulos, omnes ſaluto, dum mutuò intueamur in Monte ſancto. Sarabà, ſarabà.* (quod Iaponum ſermone ſignificat, Valete, valete.) 30. *Auguſti* 1621.

Carolus morte damnatus
pro Chriſtianâ fide.

Non

Non erat per hoc tempus immemor Christianorum Nangasachensium, eorum præcipuè qui nomina dederant Sodalitio Misericordiæ, quibus epistolam scripsit, quâ tamquam vltimis tabulis (argumento summæ suę aduersus eorum salutem voluntatis) optimis eos imbuebat præceptis, singularisque affectûs significatione, ad constantiam hortabatur; vt nempe magnis animis vim ferrent tyrannidis sæuientis. Hanc epistolam deditâ operâ in itinere abiecit, cùm Nangasachum ad incendij supplicium proficiscebatur; vt nempe à Christianis, legendi auidis, tolleretur.

CAPVT XVIII.

Exitus Caroli è carcere, & è vitâ.

FESTINABAT Gonrocuus vt pronuntiatam in Religiosos, pro fide captos, sententiam Imperatoris exigeret. Ergo post paucos dies, quàm obierant supplicium qui Manilâ venerant, mandata scripta dedit Ficuyemono (Gubernatori id temporis Omurano, ob infantiam Principis Magistratu immaturam) vti Nangasachi adessent, ad 10. Septembris, quicumq; in Omurano carcere ob Christianam fidem tenebantur captiui, ceterique omnes quotquot Nangasachẽsi ditione erant depre-

deprehensi. His mandatis acceptis, Ficuyemonus ipse in carcerem venit, bonoque militum numero conflato, captiuos duobus famulis suis abducendos commisit, eâ conditione latâ, vt neminem, ne eiusdem quidem familiæ Sacerdotem, admitteret, ad eos alloquendos. His dictis, quaternos intromisit satellites, qui Carolum aliosque tres & viginti Religiosos, manibus vinctis, extraxêre, relictis in custodiâ Sacerdotibus duobus, altero Dominicano, altero Minoritâ, alijsque Iaponibus sex, qui (quòd Nangasachi capti non essent) post biduum, quàm ceteri trucidabantur (nimirum 12. Septembris) Omuræ viui flammis exusti sunt. Difficile sit explicatu quis fuerit, hac occasione, ambarum partium sensus: hilaritas Caroli, Sociorumque abeuntium, qui nempe iam cælo se propinquos reputabant; & sancta quædam inuidia remanentium; qui, quòd tantorum cruciatuum socij longissimo tempore extitissent, ne morte quidem separandos se sperabant. Post amicos iucundosque complexus, Psalmos aliquot dulcissimis lacrymis mixtos modulari cœperunt, alternis concinentes. His finitis, beata illa cohors sancto suo tugurio excessit, quod patientiæ eis præbuerat gymnasium, & campum fecundissimum meritorum. Hoc verò maioribus incedebant

lætitijs, quod ſupplicij ſui initium in ſextam Feriam incidiſſet, quâ ieiunium præſtare conſuerant, memoriæ morientis Chriſti: quem morem maiore tum quoque conſtantiâ tenere placuit, certâ haud dubiè prouidentiâ Numinis, vt nempe feſti ſui peruigilium ipſimet inciperent venerari. Maius quoddam nauigium omnes conſcenderunt, circumnauigantibus ad tutelam ſcaphis alijs milite completis. In itinere porrò (quod paucarum erat leucarum) alacritate maximâ, nunc claſſiarios nunc nautas inuicem adhortabantur, ad retinendam Chriſti fidem, ſi quidem eſſent Chriſtiani; ad arripiendam, ſi eſſent gentiles; ad pœnitendum, ſi Religionem tormentorum metu deſerüiſſent, quippe quos res nulla alia, quàm ſtudium communis ſalutis, tam longâ nauigatione, contemptoque patriæ exilio, in vltimos mundi fines extraxiſſet, iam promptos ſanguinem quoque offerre, doctrinæ illi aſſerendæ, quam promulgarant. Hos inter ſermones, ad caſtellum Nangaia attingunt: (abeſt Nangaſacho tertio lapide) vbi celerrimè in equos fuêre ſubleuati, ne Chriſtiani cuiuſpiam colloquio interpellarentur. Hoc ordine equitabant. Præibat vir quidam nobilis, dignitate pro-Magiſter Toparchæ. Hunc milites denſi inſequebantur, lanceis, fiſtulis ferreis, ſagittiſque armati.

Poſt

Post hos captiui, cincti vndique satellitibus, qui contis plebem arcebant. Captiuos omnes præcedebat Carolus; eâ fortè causâ, principe loco Societati IESV concesso, quòd filij eius primi Euangelium in Iaponem intulêre. Subibant deinde indiscriminatim Religiosi SS. Dominici, Franciſci, & Societatis; occupabatque suus cuiusque latus carnifex, restim tenens captiui ceruicibus innexam. Agmen claudebant Nobiles tres, custodum instar, bono militum numero stipati. Tam arctâ nimirum septi custodiâ leucas itineris duas fecêre, equisque desiluêre in Vracamo, cùm iam occupasset euntes nox. Inclusi primùm fuêre sudeto ligneo, sub dio; sed mox, cùm ingens decideret pluuia, arctissimè vincti, vnum in mapale eâ nocte sunt compacti. Lucescente sequenti die, qui Sabbati erat, multi accurrêre Christiani, è quibus, non plures ternis, cum eis loqui sunt permissi. Horum vnus erat Dogicus P. Caroli; qui nempe Patris sui supremam apprecationem, vltimo illo rerum statu, negligendam sibi non putabat. Huic Carolus memoriæ suæ quoddam pignus, illud ipsum flagellum dedit, quo se in custodiâ consueuerat diuerberare, vicissimque ab eo est remuneratus nuntio certæ mortis; & viuum quidem arsurum se ignibus intellexit. Incredibile, quantum

eo nuntio Carolus lætitiæ ſenſerit, cuius quippe in eam diem nullam habuerit certitudinem. Vt ergo nuptiali illo die prodiret, feſto quaſi veſtitu ſpectabilior, amictum extimum coloris candidi, ſibi, Patriqúe Sebaſtiano Chimuræ, ceteris verò Societatis Sodalibus pileos, veſteſqúe nouas parari voluit. Adhæc vexillo (cui IESV nomen eſſet inſcriptum) quaſi ſalutis labaro, manibus prælato, mori decreuit, vt vim vigoremqúe à fortiſſimo hoc Nomine inter flammas hauriret. Sed nihil ei horum permiſſum fuit, Domino haud dubiè grandius aliquod ſerui ſui bonum prouidente. Hoc ipſo loco tenuiſſimum poſtremumqúe eis appoſitum epulum, finem facientibus terreſtrium refectionum, æternas iam mox dapes guſtaturis; quia nempe ad cœnam Agni euocabantur in cælum. Statario prandio recreati, inqúe equos ſublati, eodem, quo dictum eſt, ordine, leucæ vnius iter peregêre; (quantum nimirum interuallum erat loci, in quo vltimum eos ſupplicium expectabat) qui Sancti cognomento (à ſanguine Martyrum inibi crucibus affixorum anno 1597.) eſt conſecratus. Plurimi per viam occurrêre Chriſtiani, videndo ſpectaculo exciti; qui fuſis lacrymis eorum benedictionem patrociniumqúe precum expetebant. Carolus Socijqúe, vtcumque ob victo-

riæ

riæ propinquæ ſpem procederent læti, tamen quadam animi teneritudine flexi, non potuêre non commoueri tot gemituum ſingultuumque auditu, maximè verò tot tenellarum plantarum aſpectu, quas multis retrò annis coluerant, ſtudio, conatuque tanto; iam verò deſertas, luporum faucibus obijciendas intelligebant. Ad hos ergo verſi, *Filioli*, inquiebant, *nolite dubitare, è cælo (quò breuî diuinâ iuuante gratiâ pertingere ſperamus) opem feremus. Ad mortem vſque conſtanter eam fidem, quam docuimus, tenete: atque illud de diuinâ bonitate ſperate, quòd tantâ in neceſsitate cauſam ſuam* DEVS *deſerturus non ſit*. Hæc proloquentes magnâ affectûs ſignificatione, iubebant eos vltimum valere, & manuum oculorumque nutibus explebant verba, quæ confertæ Chriſtianorum Ethnicorumque turbæ, ſtrepitum cientes, longiùs exaudiri non patiebantur. Iam quò magis ſupplicij loco propinquabant, hoc maiores fiebant, vulgi ex vrbe, viciniſque caſtellis, concurſus. Ferunt, omiſſo Barbarorum cenſu, numerata fuiſſe triginta Chriſtianorum millia: quippe cùm Gubernator Nangaſachenſis nullo eos edicto abeſſe vetuiſſet, ſed potiùs placere oſtendiſſet ſi frequentes accurriſſent, ratus tam barbaræ immanitate carnificinæ, complurium terrefactos animos,

faciliùs Religionem deſerturos. Cùm ad id loci venêre Chriſtiani Athletæ, vnde parata ſupplicio tormenta licuit intueri, ſermone geſtuque, quàm potuêre iucundiſſimo, conſalutarunt. Quia verò nondum aduenerant Nangaſacho reliqui Socij triginta, quibus capita erant amputanda, horâ ferè integrâ ad ſuam quiſque columnam aſtricti, eorum opperiebantur aduentum. Mox adfuêre qui Nangaſacho exſpectabantur, in quibus nonnulli, qui Patres hoſpitio texerant, cum vxoribus, liberis, & vicinis. Coniuges præterea ac filij quaternorum, qui paucos ante annos viui, amore Chriſti, fuerant cõbuſti. Vtrumque Confeſſorum agmen ſuauiſſimâ inuicem ſalute impertitâ, intra ſeptum ſe recepit, ſubitoque coijt militum manus, ad tuendum maris latus, ne quis fortè cooriretur tumultus; pars altera montis aditum inſedit, vt acceſſu ſepti, vulgus prohiberent, cuius medio ſedebat Xuquendayuus, præcipuus Gonrocui adminiſter, alto ſublimis throno, peripetaſmatis Chinenſibus inſtrato, bonâ inſuper Nobilium aſſidente turbâ, quorum vtebatur ope in præſcribendo ordine modoque ſupplicij de reis ſumendi. At DEVS, qui iuſtus eſt omnium arbiter, haud paſſus eſt impunè illi ire tam barbarę crudelitatis faſtigium. Nouembri namque eiuſdem labentis anni, poſt-

quam

quam imperasset quàm sagacissimè in Religiosos homines quæri, vt in eos aliquando furorem omnem effunderet, Dominico quodam die, inter conuiuas accumbens, vix altero sumpto bolo, exanimis concidit; tum mortui cadauer repentè, combusti instar corporis, nigrescere, teterrimumque exhalare odorem; argumento, quàm tristibus flammis eius animus apud inferos torqueretur. Postquam captiui septa ingressi sunt; Carolo, ceterisque qui flammis erant destinati, sua cuique est assignata columna; ad quam prostratus Carolus, quanto potuit affectu, gratias agens diuinæ bonitati, pro tam insigni in se collato beneficio, arctissimè eam est complexus, sæpiusque pectori appressit, vt qui metam portumque iam attigisset, enauigato oceano huius mortalitatis. Vbi verò se in pedes erexit, à lictoribus leuissimè ac ferè in speciem palo est alligatus; vt nimirum expedire se nullo negotio, flammisq; eripere (si liberet) posset: quam in rem quoque apertæ patebant septorum fores; quippe hoc erat indicio conuentum, vt Religionem eiurasse censeretur, quisquis incendio se eripuisset. Etiamsi verò Iaponibus mos esset, eorum qui viui vrebantur, non manus modò, sed pedes quoque & pectus, reliquumque corpus vincire funibus, luto cretaque illitis, (vt priùs rei necarentur, quàm vin-

culis incendio ruptis soluerentur) hoc tempore tamen decreuêre, laxè fluxeq; eos necti, sperantes fore, vt quam professi fuerant Religionem, essent abiuraturi. Id fecêre nempe, adducti anni superioris casu, cùm Iapon quidam, dum viuus cremabatur, vtcumque accuratè vinctus, doloris vehementiâ eam adhibuit vim, vt vinculis abruptis ignem transiliret; quò animum aduertens non-nemo Ethnicorum, *Hic*, inquiebat, *euentus documentum nobis præbet, vt si Christianos expugnare volumus, laxè eos in posterum astringamus; igne lentè accenso, nec nisi eminus admoto, quâ ratione priùs haud dubiè se flammis eÿcient, quàm tantam ferant cruciatuum atrocitatem.* Sed maior diuinæ bonitatis gratiæque vis calliditatem fregit Barbarorum, qui nouo tormenti genere excogitato, erepturos se Carolo Socijsque victoriæ lauream sperarant. Cùm laxè obiterque omnes columnis suis alligati starent, ceteris è regione in conspectum adductis quibus capita erant resecanda, Carolus illum Psalmi versum, *Laudate Dominum omnes gentes*, elatâ voce canere instituit, carmen reliquum cantu exequentibus Socijs, alacritate magnâ vocis vultusque, non sine lacrymis spectatorum. Quoniam verò Carolus præcipuis iudicij administris erat vicinior, oculis ad tribunal versis, in quo præsidebat

debat Xuquendayuus, constantissimâ morum licentiâ, *Facilè* inquit, *apud vos ipsos æstimare potestis, visâ hac alacritate nostrâ, in dirissimo mortis supplicio obeundo, an Religiosi homines in Iaponiam irrepant studio occupandi Regni, an verò cupidate aperiendæ vobis in cælum viæ, quæ sola patet per Religionem Christianam. Non ambit opes, sceptráve, Christiana humilitas, quin imò contemnit, calcátque, amore Domini sui. Nos animis solummodò, salutiq; vestræ inhiamus, quæ posita est in cognitione viui veriq; Numinis, quod gens Christiana vobis indicauit, legumq; eius obseruatione. Nos deniq; (quæ* DEI *clementia est) vitam feliciter absoluimus, & post breues hosce cruciatus, gloriam speramus sempiternam. Infelices miserosq; vos, qui viam insistitis, quâ in æternam ruitur mortem. Atque vt plurimos trucidetis, non deerunt (quod putatis) Christiani præcones qui Iaponibus in posterum approbent veram fidem, quos inuitat nempe mors nostra, non deterret. Quin imò, vnius nostrùm morientium vice, centum exsurgent noui (ea est* DEI *prouidentia) audaces iuxtà ac fortes Euangelij propagatores, qui felicissimos sese reputabunt, si vitam sanguinemq; dare poterunt pro Christo; qui, quantam extremâ hac luctâ pugilibus suis fortitudinem impertiatur, ipsi intuemini.* Deinde ad Lusitanos vultum conuertens, tantâ

eos vi efficaciaque ad sectandam Christianæ vitæ perfectionem adhortatus est, vt vir quidam grauis ac locuples, commotus argumentorum, quæ adferebantur, vehementiâ, eò sanè maiore, quò augustius erat dicentis exemplum, supremum mortalibus vale dicere, totumque se dicare DEO in Societate decreuerit. Dum hæc Carolus loquebatur, gladios nudare carnifices; ceteri, quibus truncandæ erant ceruices, in genua se submittere, ad excipiendas secures. Tum verò Isabella Fernandez, coniux Dominici Georgij Lusitani annis superioribus combusti, ob Carolum, vti diximus, hospitio receptum; quæ eamdem iam ob causam gladio erat subijcienda, verbis affectûs significatione plenissimis, Patrem vltimò cõpellauit; ex aduerso Carolus, qui filiolum eius præsentem non animaduertebat (quem paucis ante captiuitatem mensibus sacro Fonte tinxerat, Ignatij nomine, quòd festo illi die natus esset, insignierat) veritus ne quis fortè puerum abscondisset, vt felicissimam illi eriperet occasionem honorandi Christum, innocentissimi sanguinis sui profusione, Isabellam interrogat: *Vbinam est meus Ignatius? aut quid illo factum est?* Isabella filiolum brachijs complexa, sublimeque elatum ostentans: *Ecce*, respondit, *præsentem teneo, quem vnà mecum adduxi, vt illi per mortem offeram, à quo*

& vi-

& viuum accepi. Versaque ad puerum, *Iube*, inquit, *fili, iam vltimum valere Patrem tuum, qui aquâ te salutari iterùm genuit Christo.* Incredibile, quantum circumstantis multitudinis animos commouerit egregia pueri religio, benedictionem Patris, supremo illo articulo flagitantis. Sola mater inter tot spectantium lacrymas intrepida, oculis siccis tenerrimam sobolem suam DEO consecrabat. Gratissima Carolo accidit responsio, magnamque vultu præferens hilaritatem, benè se ei precari indicauit. Vix quartum ætatis annum expleuerat Ignatius, insignique vestitus cultu, atque oris puerilis iucundissimâ venustate, omnium in se oculos rapiebat, cùm generosissimè intra septum deambulantem viderunt, siue quòd per ætatis imbecillitatem etiamnum expers esset timoris, siue (quod verosimilius) è cælo tantum hausisset virtutis, quâ confirmatus, non solùm loco, quo constiterat, non semel se mouit, quando tria quatuórve sacrorum capitum, à truncis cadaueribus reuulsorum ad pedes illius desilientium se conuoluêre; sed neq; colorem mutauit, cùm cadentem sub carnificis ictu conspexit matrem; quin ipse pari constantiâ atque alacritate, lictoris gladio ceruiculam mox subiecit. Iam deditâ operâ, sub eorum conspectu (qui palis stabant alligati) triginta Sodalibus resecta erant capita, vt nempe

nempe ſpectaculi atrocitate victi, animos incendij metu deſponderent. Atque vt maior exiſteret horror, capita omnium corporibus trunca, à carnificibus ſublimè ex aduerſo locata ſunt ſub eorum oculis, qui iamiam incendij principium exſpectabant. Supremo hoc tempore Carolus ſacram abſolutionem impendit femina cuidam Luciæ de Freites, quę vicina ei fortè erat. Quod nimirum optauerat ſæpiùs feminæ, vt vicina lateri Sacerdotis cuiuſpiam moreretur, obtinuit ſcilicet DEI beneficio, quando Carolus, illo ſupplicij ordine, proximè eam ſequebatur, illaque, per vicinitatis occaſionem, DEO reconciliari, culparumque exſolui nexu flagitabat. Aderant expediti ſatellites, qui circumiectam Carolo Socijſque materiam inflammarent, cùm ipſe ad carnifices, *Nolite*, inquit, *admirari, ſi videritis à quopiam noſtrûm ſignum aliquod edi debilitatis; neque enim ære alióve metallo conflati ſumus, ſed mortales, carne languidâ, ſenſibiliq; compacti, cui à naturâ comparatum eſt, doloris cuiuſcumq; vel leuiſſimi ſenſum percipere, ne dicam atrociſſimorum incendij tormentorum. Spero tamen, confidoq;, nobis adfore diuinitus vim, quâ conſtanter mortem illius amore toleremus, ad Religionis veritatem aſſerendam, quam tot annis hoc in Regno docuimus propagauimuſq;.* In tempore profectò, atque opportunè adhibita

bita fuisse videtur admonitio; duo quippe Iapones Christiani, vim ignium sustinere diutiùs non valentes, iterùm tertium q; elapsi vinculis, magno reliquorum Confessorum dolore, ex incendio ad tribunal Iudicum, vitandæ mortis studio, euasêre. Sed eorũ iussu in flammas reiecti, nequidquàm vanum Amidæ, Iaponij idoli, nomen implorantes, incendio aboliti sunt. Tertius præterea Iapon, qui semel ignibus extulerat pedem, mox facti pœnitens (vt nonnulli referunt) redijt in rogum, fidemque moriendo sanciuit. Iterùm à Religione defectum, iustâ accidisse Numinis permissione, declarauit quædam Caroli præmonitio, qui flens, priùs quàm è custodiâ excederet (quod annuis Iaponiæ litteris iam vulgatis est relatum) fore prædixerat, *non omnes eo ex numero, (perinde vti euenerat* 40. *Martyribus Sebastenis) coronam suam è manibus Angelorum accepturos:* repetendo idemtidem per viam hæc verba: *Vehementer angor animo, vereorq; ne aliqui nostrûm, turpi casu suo, festæ lucis huius lætitiam corrumpant.* Commouerat ad hęc dicenda Dei seruum (vti quorumdam litteris perscriptum fuit) duorum triúmve illorum Iaponum asperitas, pertinaciaque, quam in carcere monstrarant, nolentes morem gerere in re graui. Quæ, qualis aut cuiusmodi fuerit, non prodidêre. Quâ duritie animaduersâ, Caro-

Carolus, quantumuis ei subiecti non essent (qui solis Societatis captiuis præerat) pro eo tamẽ, quo aduersus eorum salutem ferebatur ardore; desiderioque, quo DEI gloriam ab omnibus amplificatam cupiebat, corporibus etiam eius amore proiectis, adhortari eos ex composito cœpit, spiritus illos altos demitterent, seque ad aliorum accommodarent morem; ostendendo, quantis nominibus hoc potissimùm tempore obtemperare tenerentur; comminandoq; ad extremum, seueram DEI vindictam, in eorum præfractam asperitatem. Satelles vnus è custodibus carceris Omurani, qui præsens hæc audierat, ac deinde spectaculo tristissimi intererat casus, *Certiore*, inquit, *testimonio mihi opus non est, vt sciam quantus vir diuinâ æstimatione sit Carolus, atque audisse illum ipsum prædicentem, quòd eorum aliqui, qui è carcere ducebantur, vt Christo immolarentur, festæ pompæ lætitiam essent corrupturi, quamuis inuicta aliorum constantia, ac virtus, vitium labemq; deleuerit, quam communi ceterorum laudi, miserandum Iaponum naufragium aspergere potuisset.* Iam ignem materiæ satelles intulerat, qui quinque & viginti palmorum intercapedine accendebatur, vt crudelior existeret cruciatus, acriusq; ad desertionem pugiles incitarentur; & paulatim per diuturniorem doloris sensum exsoluerentur vinculis; priusq; torre-

torrerentur lentè, quàm arderent: quin si quâ parte luculentior erumperet flamma, protinus coërcebant. Intereà, dum languido flammarum ardore, ignis in viscera penetraret, immoto stabat corpore Carolus, oculis in cælum fixis, vbi post exigui temporis moram desideratissimis Christi amplexibus fruiturus erat, cui toto pectoris affectu in holocaustum destinabat victimam corporis sui, quod lenti instar pabuli, iam incendio erat præparatum. Durauit acerrimus ille cruciatus ignium ad duûm triúmve horarum spatium, quo temporis tractu, alij celeriùs alijs vitam finientes, beatæ æternitatis gloriam inuadebant. Duo Societatis nostræ Sacerdotes principium finemq; moriendo fecêre. Postremus (vti scribunt) qui ad stipitis pedem lapsus spirauit, fuit P. Sebastianus Chimura, patriâ Iapon, primus è Iaponibus Sacerdotio initiatus; nepos illius, quem primum in Iapone, secundus Indiarum, sed primus Iaponiæ Apostolus Franciscus Xauerius, salutaribus Baptismi aquis expiauit. Hic Pater manibus ante pectus in crucem decussatis, oculisque in cælum sublatis, tantâ inter ignes pace ac lætitiâ potiebatur, ac si sensum funditus perdidisset; cùm tamen (vti certis est tabulis testatum) tres horas viuus steterit in ardente rogo. Primus, quasi lampada tradidit post se reliquis Carolus, qui diutiùs

diutiùs cum incendio luctari non valebat, non quòd senio defectus, aut diuturnæ custodiæ sordibus fractus, aut recentium morborum pertinaciâ extenuatus esset, sed multò maximè, quòd scintillæ quædam materiæ accensæ à rogo absistentes, ad vestem eius circa pectus adhæresceren t; quæ, quòd bombycina esset, nigroque colore tincta, flammam scilicet irritamento faciliùs comprehendit. Ergo in terram prolapsum paulatim vires destituêre, ipseque perinde ac gratias egisset pro acceptæ coronæ brauio, vltimo vitæ actu terram complexus, animum efflauit, renatus cælo per mortem obitam 10. Septembris anno 1622. Vir fuit illustrissimarũ virtutum clarus ornamentis, quem Iapones perpetuâ retrò memoriâ, columnæ instar firmissimæ, suspecturi sunt, quæ vltimorum temporum decursu, per diuturnæ prædicationis molestissimos labores, dum pax permitteret, per sanguinis sui effusionem dum tyrannis sæuiret, nutantem Christianæ illius Reipublicæ statum fortissimè sustentauit. Occisi fuêre ob amorem Christi, eodem illo cum Carolo die, Religiosi alij viceni; è quibus octo familiâ erant Dominicani, quatuor Minoritæ, octo Societatis: triginta præterea Christiani variæ ætatis atque ordinis, vti distinctiùs perscriptum est litteris anni 1622. è Iapone Romam missis, iamque

iamque prælo vulgatis. Sacra omnium cadauera, eodem loco situque, triduum iacuêre, arctè custodita aduersus accurrentium vim; è quibus Christiani continenter ad venerandum aduentabant, nullo prætermisso studio, thesauri tam diuitis potiundi. Nullius tamen corpus integrum obtineri potuit: caput solummodò Mariæ, vxoris Andreæ Zocuani, qui & ipse pro fide erat interemptus, (quòd nempe Gubernatori cognata esset) Christianorum precibus condonatum fuit. Mox Iudices, intellecto quòd Christiani, factâ coniuratione, optatissima illa pignora per noctem subripere decreuissent, duplicatis excubijs septa munierunt. Deinde, inaudito ad eum diem apud Iapones more, (dæmonis haud dubiè antiqui machinatoris suggestione excogitato, qui solebat in nascentem quoque Ecclesiæ soboleſcentis infantiam sic grassari) in mortuos rabie inflammati, vt eorum penitus obscuraretur memoria, neque vllo vmquam apud Christianorum posteros in pretio haberentur, altissimâ depressâ fossâ, Caroli sociorumque cadauera, vnà cum columnis quibus fuerant alligati, imagines denique, sacrasque coronarum precatoriarum sphærulas, necnon quidquid religiosæ supellectilis eis abstulerant, luculento igne combusta, contumulauêre,

raſo etiam terræ pauimento, quod cruore ſuo Martyres decolorarant. Nec contenti, cadauerum cineres permiſcuiſſe lignorum columnarumque cineribus; ſaccos ijs impleuerunt, quos procul Nangaſacho per mare diſſiparunt. At ſæuiat furatque in DEI ſeruos, veraque Spiritus ſancti templa, frementis ſatanæ palæſtra: numquam tamen trophæum ſtatuet de Numine ſuperato; numquam memoriam obſcurabit, quam Sanctis etiam hoc vitæ curſu promiſit DEVS, vel in pectoribus bonorum; præter alterius mundi gloriam immortalem, quâ ſemper de ſuis hoſtibus triumphabunt. Redegerint ſanè in puluerem ſacra Martyrum membra, exiguum id omne eſt quod perpetrauêre, quando *Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum*; qui reuerà aliquando oſtenſurus eſt (pro diuinæ ſuæ prouidentiæ arbitratu) non fluxiſſe eis è ſententiâ omnes conſiliorum ſuorum machinationes: neque tum ſacros illos cineres, (vt credebant) ventis eſſe diſſipatos, aut ex hominum memoriâ eiectos, quando mari ſunt diſperſi; ſed potiùs ſeminatos eſſe, vt noui proueniant Religionis propagatores. Sperandum etenim de diuinâ bonitate, quòd, quemadmodum fuſus eorum ſanguis, vtpote Chriſtianorum ſemen, vberrimam Chriſtianorum meſſem attulit Chriſto; ita cineres eorumdem Oceano

no hauſtos ſecuturis temporibus (vti factum aliàs vidimus) nouos Euangelij præcones eſſe prouocaturos.

Atque hæc ſunt vniuerſa, quæ tanto locorum interuallo, ex litteris è Iapone ſcriptis, ex teſtibus fide dignis, ex tabulis pro Caroli Sociorumq; probandâ ſanctimoniâ ac martyrio miſſis, colligere licuit. Sed in eam ſpem veni, fore vt alteris curis, quæ pro Caroli veſtigandâ ſanctitate, in Iaponiâ & Philippinis, Pontificis Maximi auctoritate adhibentur, plura nobis quæ huic narrationi attexantur ſuppeditatura ſint, ad DEI gloriam maiorem, & ſerui eius Caroli decus; quippe cùm Sacer purpuratorum Patrum Senatus, qui præeſt cærimonijs obſeruandis, voluntate S. D. N. VRBANI Papæ VIII. litteras ſuper eâ re ſcripſerit XVII. Septembris, anno M. DC. XXVII.

PRECES

IN HONOREM NOVEM MENSIVM, QVIBVS BEATISSIMA VIRGO CHRISTVM VTERO GESSIT.

Beatus venter qui te portauit.

NOVIES recitetur Angelica Salutatio; meditando (dum quælibet Salutatio repetitur) vnum aliquod priuilegium Virgini à Christo datum, in gratiam hospitij, Christo in vtero Virginis concessi: acceptâ hinc occasione, laudandi in primis gratulandique

Delineatio carceris P. CAROLI SPINOLÆ ex Soc. IESV, desumpta ex autographo ipsiusmet P. CAROLI, quod P. SEBASTIANVS VIERA ad eius patriam Genuam detulit.



PRECES

diq́ue diuinæ bonitati, quæ Virginem honore tanto est dignata; & Virginem ipsam extollendi venerandiq́ue, flagitando ab eâ gratiam, certo Priuilegio respondentem.

Primum Priuilegium est, Reuerà fuisse DEI Matrem, quæ suo eum vtero conceperit, ope Spiritus sancti. Quam ob rem gratias DEO referam, simul venerando talem tantamq́ue Matrem. Tu insuper illam ora, vt DEI mater spiritualis efficiare, voluntati DEI sanctissimæ obtemperando ex sententiâ illius Euangelici pronuntiati: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est.*

Alterum Priuilegium est, Simul Matrem extitisse & Virginem, iunctis per miraculum fecunditate & virginitate. Ora Christum per materna merita, vt tibi bonorum omnium

impertiatur vbertatem, puritati corporis animiq́ue coniunctam.

Tertium est, Grauidam mensibus nouem Christum non solùm absque molestiâ tulisse ponderis, verùm etiam cum leuaminis sensu. Obsecra, vti numquam graue tibi videatur, iugum Domini portare; sed contrà leuis ac suauis appareat obseruatio legum ipsius.

Quartum, Cùm aliæ omnes prolem cum dolore sint enixæ, hanc summo cum gaudio peperisse. Ora beatam Virginem, vt gratiam tibi impetret pariendi spiritualiter DEVM, hilari bonorum desideriorum propositiq́ue executione, quam præstare decreuisti; atque hinc animi tibi crescant ad vincendas difficultates omnes molestiasq́ue, quæ bonis operibus esse solent impedimento.

Quintum, Postquam angustis vteri

clauſtris illum Virgo eſſet complexa, quem neque cæli neque terra comprehendunt; tantam ei inter res creatas capacitatem eſſe datam, vt in eâ DEVS collocaret plenitudinem gratiæ, quæ Sanctorum omnium gratiam immensè ſuperaret. DEVM obteſtaberis per amorem illum, quo nouem ſe menſibus virgineo vtero incluſit, eius te gratiæ cæleſtiumque donorum capacem efficiat, quibus te iam inde ab omni æternitate ornare decreuit, ſi tu modò permittas.

Sextum, Poſtquam Verbum æternum humanitatis noſtræ veſtem de caſtiſſimis Virginis beatiſſimæ viſceribus ſibi texuiſſet, inſtar Pontificis ſummi eam dicauit conſecrauitque in templum viuum, verumque tabernaculum DEI; ex illâ Dauidici carminis ſententiâ: *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Obſecra DEVM,

interpositâ precatione Virginis, vt quoniam per Baptismi fontem in Spiritus sancti templum es consecratus, illud omni labe purum serues.

Septimum, Cùm Christus sit verus vitæ panis, virgineus MARIAE vterus factus est publicum orbis horreum, è quo eductum est frumentum electorum, vt conderetur panis Eucharistiæ, quo Fideles omnes pascuntur nutriunturque; qui venter illo celebratur Sponsi Cantico: *Venter tuus sicut aceruus tritici.* Obsecra beatissimam Virginem, vt quemadmodum liberalis fuit in subministrando Angelico illo pane, sic quoque tibi gratiam impetret, eum pari (quâ tanto par est Mysterio) religione obseruantiâque gustandi.

Octauum, Cùm Christus sit secundus noster Adamus, cælestis nem-

nempe ille ac diuinus, dum in MARIAE latuit abditus viſceribus, eam ſecundam Euam reddidit; ex quâ per Chriſtum regenerati ſumus in filios DEI adoptiuos, cùm ex primâ Euâ nati eſſemus filij iræ. Recurre igitur, boni inſtar filij, ad pijſſimam hanc Matrem; eam obteſtare, vt in ſuam te tutelam recipiat, & à primæ Euæ te calamitatibus aſſerat.

Nonum, Poſtquam in Virgine DEVS habitauit, facta eſt inſtar paradiſi deliciarum ac voluptatum, imò cæli inſtar empyrij, cui ſemper frequens aſſiſtit Cælitum regia: cùm nequeant cæleſtes illæ mentes pulcherrimo hoc ſpectaculo ſatiari; quale fuit, videre immenſum DEVM vnius Virgunculæ ſinu incluſum. DEVM orabis, vt animam tuam vertat in paradiſum di-

uinæ ſuæ Maieſtatis, expurgetque ſpinis, vrticis, tribulis omnibus vitiorum, quæ ſterilem in ſiluam atque infecundam, eam conuerterunt.

FINIS.

APPROBATIO CENSORIS.

VITA P. CAROLI SPINOLÆ *Societatis* IESV, *cùm ad excitandas fidelium mentes ad amorem Dei sit valdè opportuna, vtiliter typis euulgabitur.*

P. Coens S. T. L. Canon.
& Lib. Cens. Antuerp.

Collegij Societatis JESV Paderbornæ 1636.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGO *infrascriptus Societatis* IESV *in Prouinciâ Flandro-Belgicâ Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi factâ ab admodum R. P. N. Mutio Vitelleſco Præposito Generali, concedo Balthasari Moreto Typographo Antuerpiensi facultatem typis mandandi Vitam* P. CAROLI SPINOLÆ *Societatis* IESV, *pro Christianâ Religione in Iaponiâ mortui, Italicè scriptam à P. Fabio Ambrosio Spinolâ, Latinè redditam à P. Hermanno Hugone, vtroque Societatis* IESV *Sacerdote. In quorum fidem has litteras manu meâ subscriptas, & officij mei sigillo munitas, dedi Bruxellæ* II. *Februarij* M. DC. XXX.

Iacobus Stratius.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum & Indiarum Regis Catholici ac Potentiſſimi Belgarum Principis Priuilegio cautum eſt, nequis *Vitam P. Caroli Spinolæ Societatis* IESV *pro Chriſtiana Religione in Iaponiâ mortui, Italicè ſcriptam à P. Fabio Ambroſio Spinolâ, Latinè redditam à P. Hermanno Hugone, vtroque Societatis* IESV *Sacerdote*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra ſexennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſam in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XIX. Iunij M.DC.XXIX.

Signat.

Steenhuyſe.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LABORE ET CONSTANTIA

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
2685


Vita